# De Theophrasti libris Peri zōiōn

Hermann Joachim

# De Theophrasti libris Peri zōiōn

Hermann Joachim

# DE THEOPHRASTI LIBRIS

# ΠΕΡΙ ΖΩΙΩΝ

DISSERTATIO PHILOLOGA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE IV MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXXII HORA XII PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

Joachim, Hermann

HERMANNVS IOACHIM
HAMBVRGENSIS

ADVERSARII ERVNT

FRIDERICVS KNATZ
PAVLVS RABBOW
HERMANNVS SCHOENE

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

MDCCCLXXXXII

FRANCISCO BVECHELER

HERMANNO VSENER

Theophrasteorum de animalibus librorum nullus integer diem tulit[1]. unius frustum extat in exemplis ms. minorum Theophrasti scriptorum (fr. 171 W.), ex tribus excerpta habemus in Photii bybl. cod. 278 p. 525 sqq. B., ceterorum titulos solos nobis servavit Laert. Diog., qui in prima Theophrasteorum librorum indicis parte (V 43) haec tradit:

περὶ ἑτεροφωνίας ζῴων τῶν ὁμογενῶν ᾱ, περὶ τῶν ἀθρόον φαινομένων ᾱ, περὶ δακέτων καὶ βλητικῶν ᾱ, περὶ τῶν ζῴων ὅσα λέγεται φθονεῖν ᾱ, περὶ τῶν ἐν ξηρῷ διαμενόντων ᾱ, περὶ τῶν τὰς χρόας μεταβαλλόντων ᾱ, περὶ τῶν φωλευόντων ᾱ, περὶ ζῴων ᾱ β̄ γ̄ δ̄ ε̄ ϛ̄ ζ̄.

Ad septem hos libros accedunt ex altera et tertia indicis parte libri περὶ τῶν (sc. κατὰ τόπους) διαφορῶν ᾱ, περὶ τῶν αὐτομάτων ζῴων ᾱ, ἐπιτομῶν Ἀριστοτέλους περὶ ζῴων ᾱ β̄ γ̄ δ̄ ε̄ ϛ̄, περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους ᾱ[2]. de libro περὶ γενέσεως ᾱ (Laert. Diog. V 49) certi quicquam affirmare non audeo.

Theophrastus igitur de animalibus minimum decem singulares conscripsit libros, quorum septem uno generali titulo complexi sunt bybliothecarii Alexandrini. servarunt hi proprios singulorum librorum indices etiam in historia plantarum ut docet Vrbinatis ad librum septimum subscriptio: Θεοφράστου περὶ φυτῶν ἱστορίας τὸ η̄. Ἕρμιππος δὲ περὶ φρυγανικῶν καὶ ποιωδῶν, Ἀνδρόνικος δὲ περὶ φυτῶν ἱστορίας[3].

---

[1] ne Arabibus quidem ullus praesto fuisse videtur, cf. Wenrichius *de auct. graec. vers. com. syr. arab.* etc. p. 175 sq.

[2] cf. Vsener *anal. Theophr.* p. 15 et 16.

[3] cf. Vsener l. l. p. 23. alia talium titulorum vestigia deprehendimus in libri περὶ φυτῶν ἱστορίας tertii indice περὶ ἀγρίων δένδρων τὸ γ̄, quem praebet Vrbinas, et in libri noni inscriptione περὶ φυτῶν ὀπῶν, quam invenimus in excerptis Parisinis; cf. Kirchner *de Theophr. Eresii libris phytolog.* Vratislav. 1874 p. 46.

Saepius Theophrastus in his de plantis libris respicit suas de animalibus commentationes, saepius huc lectores relegat. unum certissimum extat exemplum hist. pl. IX 17, 4 (cf. Roseus *Aristot. Pseudep.* p. 332). aliis locis sane dicas Aristotelem respici. vereor autem ne hoc sit parum probabile. etsi enim non numquam Theophrasti disputatio pendet ab Aristotele[1], tamen ullum locum, ubi in aliis libris iam commemoratum esse aliquid propriis verbis dicitur, ad Aristotelis libros spectare nequit demonstrari. neque hoc contigit Kirchnero l. l. p. 534 de loco de caus. pl. I 22, 2 adlato Aristot. περὶ ἀναπνοῆϲ c. 14 p. 477$^{b}$ 5 sqq. potuitne Theophrastus hic significare ipsius de physicorum opinionibus libros, in quibus multum eum fuisse in Empedocle refellendo discas ex fragmenti περὶ αἰϲθήϲεωϲ καὶ αἰϲθητῶν c. 3? iam alius locus restat: de caus. pl. II 17, 9 ἅπερ ἐν ταῖϲ ἱϲτορίαιϲ ταῖϲ περὶ τούτων (sc. ζῴων) εἴρηται. de animalibus tum commemoratis omnibus loquitur etiam Aristoteles, sed valde dubito num ad intellegendam sententiam οὔτε γὰρ ἴϲωϲ ταῖϲ πίνναιϲ βίοϲ εἰ μὴ διὰ τὸν κάρκινον sufficiant verba Aristot. h. a. V 15, 68 p. 547$^{b}$ 16 sqq. ἔχουϲι δ' ἐν αὑταῖϲ (sc. αἱ πίνναι) πιννοφύλακα . . . . ., οὗ ϲτεριϲκόμεναι διαφθείρονται θᾶττον. requirunt illa Theophrasti verba accuratiorem de pinnarum victu (nam hoc est βίοϲ) narrationem qualem legimus apud Plut. de soll. anim. c. 30 p. 980$^{b}$. hanc puto ipsum Theophrastum exposuisse in libro περὶ ζῴων φρονήϲεωϲ καὶ ἤθουϲ. illo autem de caus. pl. libri loco eodem generali titulo comprehendit suos de animalibus libros, quo historiam plantarum significat e. gr. de caus. pl. I 1,1[2]. multo igitur videtur esse similius veri etiam de caus. pl. IV 5, 7 et V 6, 13 ipsius discipuli libros intellegendos esse quam magistri.

De ordine quo singulos de animalibus libros legerunt posteri scriptores nihil fere constat. adfert Athenaeus IX p. 387$^{b}$ tertium περὶ ζῴων librum, verum prorsus dubium est cui libro hoc fragmentum sit adscribendum. certe ad argumentum libri περὶ δακέτων καὶ βλητικῶν, qui in collectione illa Alexandrina (Laert. Diog. V 43) tertium obtinet locum, nullo modo quadrat. congruit cum ordine indicis Laertiani testimonium eiusdem Athenaei VII p. 312$^{b}$ Θεόφραϲτοϲ ἐν τῷ ε̄ περὶ τῶν ἐν τῷ ξηρῷ

---

[1] cf. Kirchner *suppl. annal. philol.* VII p. 533 sqq.

[2] alios locos collegit Kirchner l. l. p. 460 adn. 1.

διαιτωμένων[1]. quo cum pugnare videtur Aristophanes Byzantius p. 29, 20 L. (Rosei p. 371) μαρτυρεῖ δὲ Θεόφραστος λέγοντι Ἀριστοτέλει ἄνευ ὀχείας γίνεσθαι τὸν λεγόμενον Ὄσιριν ἐν τῷ πέμπτῳ τῶν περὶ ζῴων. hoc sane non potuit tangi in eo libro. fortasse Aristophanes respicit ad sex libros ἐπιτομῶν Ἀριστοτέλους περὶ ζῴων, id quod ipsa sententiae forma suadere videtur. potuit ibi Theophrastus novo exemplo Aristotelis de ovis inanibus doctrinam confirmare. at tamen ad liquidum haec res perduci nequit.

Meliore scientia instructi sumus de argumento et indole plurimorum librorum. posteri enim scriptores non minus saepe quam Aristotelem hos Theophrasti libros in usum suum vocaverunt[2]. fragmenta ex iis egregie collegit Roseus *Arist. Pseudep.* p. 327 sqq. sed vir ille doctissimus eo errore, quod septem solos libros de animalibus scripsisse Theophrastum putavit[3], commotus esse videtur, ut titulos περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν et περὶ τῶν κατὰ τόπους διαφορῶν eundem librum significare contenderet atque eodem modo indices περὶ τῶν ἀθρόως φαινομένων et περὶ τῶν αὐτομάτων coniungeret. quae sententia neque a Roseo probata est neque omnino probari potest. etenim quem ille adfert in Arist. fragm. ed. Teubn. (1886) p. 251 locum Aristotelis h. a. VIII 28, 156 p. $605^b$ 22 sqq., is adumbrat argumentum libri περὶ τῶν κατὰ τόπους διαφορῶν: de ἑτεροφωνίᾳ autem τῶν ὁμογενῶν nihil ibi reperitur. per se intellegitur argumentum libri qui animalium secundum loca differentias trac-

---

[1] ε̄ deleverunt Casaubonus et Kaibelius. iusta causa non adest. interpretare enim libri significationem sic: in quinto libro sc. περὶ ζῴων, cui inscribitur περὶ τῶν ἐν τῷ ξηρῷ διαιτωμένων.

[2] utriusque nomina saepe inter se commutarunt. retinenda enim est Rosei sententia (l. l. p. 278 sq., 280) contra Heitzium *de perditis Arist. scriptis* p. 228 et commendatur, si quid video, non modo eo quod iam bybliothecarios Alexandrinos saepe de auctore libri alicuius dubitare aut errare videmus, sed etiam eo quod Aristophanes Byzantius in Aristotelis de animalibus librorum epitome Theophrastea cum Aristoteleis saepius miscuit, cf. suppl. Arist. I 1 ed. Lambros praef. p. XIV et p. 10, 8. neque vero si in Antigoni hist. mir. c. 19, 20, 25 Aristotelis pro Theophrasteo nomen invenimus, hoc cum Schradero (*annal. philol.* 97 p. 221) ita explicabimus, ut Aristotelem iam a Theophrasto nominatum esse dicamus, cum umquam id factum esse plane nesciamus.

[3] cf. *de Arist. libr. ord. atque auct.* p. 47, 87: *Arist. Pseudep.* p. 278.

tavit multo patuisse latius quam eius quo de vocum differentia eiusdem animalium generis agebatur. rursus voces eorundem animalium etiam variis anni temporibus varie sonare possunt multisque aliis de causis[1]. idem cadit in ceteros duos libros. quis credet largam illam antiquae philosophiae de generatione aequivoca materiam commixtam esse a Theophrasto cum observationibus quae ad animalia magno numero repente apparentia spectabant, praesertim cum plurima eorum non fiant αὐτομάτως?[2] — secernenda igitur sunt horum librorum fragmenta quae Roseus confudit. neque difficile est hoc negotium. nam omnia fragmenta Rosei (p. 328—332) pertinent ad librum περὶ τῶν κατὰ τόπους διαφορῶν praeter illa quibus agitur de vocum in perdicum genere differentia (p. 329 sup.). plures enim narrationes in his insunt: primum quam ipso titulo περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν praeposito adfert Athen. IX p. 390ª, deinde quam habet Aelianus d. n. a. III 35 in altera capitis parte, tum quam legimus in Antigoni hist. mir. c. 6. haec unica sunt fragmenta illius libri: nam etiam ea quae Theophrastus narravit de mutis in Seripho insula ranis continuisse librum περὶ τῶν κατὰ τόπους διαφορῶν apparet ex sententiarum conexu in [Aristot.] mir. ausc. c. 68—70. omnia haec capita non potuerunt fluere ex altero illo libro; ergo omnia sumpta sunt ex hoc propter excerpendi morem in mir. ausc. adhibitum[3].

Sed fragmenta libri περὶ τῶν κατὰ τόπους διαφορῶν nunc iam paullulum augere licet. non media demum pagina apud Athen. IX p. 390 incipiunt Theophrastea (cf. Roseus p. 329, 4), verum propter idem argumentum veri est simile eodem Theophrasti libro uti scriptorem iam p. 390ᵇ τῶν δὲ περδίκων ἐστὶν ἕτερον γένος ἐν Ἰταλίᾳ ἀμαυρὸν τῇ πτερώσει καὶ μικρότερον τῇ ἕξει, τὸ ῥύγχος οὐχὶ κινναβάρινον ἔχον. οἱ δὲ περὶ τὴν Κίρραν πέρδικες ἄβρωτον ἔχουσι τὸ κρέας διὰ τὰς νομάς. (c) οἱ δὲ περὶ τὴν Βοιωτίαν ἢ οὐ διαβαίνουσιν εἰς τὴν Ἀττικὴν ἢ διαβαίνοντες τῇ φωνῇ διάδηλοι γίγνονται, καθάπερ προειρήκαμεν (initio paginae). τοὺς δὲ περὶ Παφλαγονίαν γιγνομένους πέρδικάς φησι

---

[1] cf. Arist. h. a. IV 9, 106 sqq. p. 536ª 13 sqq., qui locus Theophrastum ad tales quaestiones adducere potuit.

[2] non nulla sane generatione aequivoca oriuntur, cf. Phot. bybl. cod. 278 p. 527, 12 sqq. B.

[3] cf. p. 16.

Θεόφραστος δύο ἔχειν καρδίας. οἱ δ' ἐν Σκιάθῳ τῇ νήσῳ κοχλίας ἐσθίουσι[1]. τίκτουσι δ' ἐνίοτε καὶ πεντεκαίδεκα καὶ ιϛ. quid autem quod hic de vocum aliqua permutatione perdicum qui a Boeotia in Atticam transmeant sermo fit? nonne hic re vera argumentum libri περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν coniungitur cum rebus quae pertinent ad alterum illum librum? at secundum Plin. n. h. X 78 *perdices non transvolant Boeotiae fines in Atticam*[2] Theophrastus de tali vocum varietate nihil dixerat. vides iam puto quid acciderit: produnt Athenaei negligentiam ipsius verba καθάπερ προειρήκαμεν. eius auctor non praebuit ei nisi haec: οἱ δὲ περὶ τὴν Βοιωτίαν οὐ διαβαίνουσιν εἰς τὴν Ἀττικήν; cetera ipse novavit, cum non animadverteret p. 390ᵃ dici de Corydallo[3], hic de Boeotia atque has regiones multum inter se distare. — praeterea pauca fragmenta accedunt ex Antigoni hist. mir. cuius caput 2 Roseus (p. 329) et Wilamowitzius[4] putant ex Timaeo sumptum esse. at Timaeus, cuius de hac re narratio ex Diodoro IV 22, 5 repetenda est, Herculem orantem facit, ut cicadae evanescant (ἀφανεῖς γενέσθαι), non solum ut voce priventur. neque id neglegas quod arte cohaeret hoc caput cum capite 4, ubi verba οἱ μὲν περὶ Ἡρακλέους respiciunt ad illam Rheginorum fabulam. atqui cum c. 4 adscribendum sit Theophrasto (cf. Roseus p. 330), harum fabularum coniunctionem apud eum invenit Antigonus. an cogitari potest, si ipse eas coniunxisset, omnem conexum rursus eum sublaturum fuisse c. 3 male interposito? itaque veri est simile in capite isto inesse ipsam illam Theophrasti narrationem quam paucis in libro περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν significat apud Aelian. III 35 καὶ τεττίγων τι γένος ἄφωνοι καὶ οὗτοι (cf. Roseus p. 329, 3). — capita 3, 9, 11 fluxisse ex libro aliquo eiusdem argumenti atque Aristot. h. a. VIII 28, 156 p. 605ᵇ 22 sqq., non ex ipso Aristotele recte observavit Wilamowitzius. atque c. 11 Roseus iam inseruit fragmentis libri περὶ τῶν κατὰ τόπους διαφορῶν. eodem pertinere c. 3 et 9 demonstrare supervacaneum est. male vero et Roseus et Wilamowitzius idem statuerunt de c. 10. vix

[1] cf. de his infra p. 37.

[2] sic scribendum ex Solin. 7, 28; cf. Roseus p. 328.

[3] potest intellegi et mons et δῆμος; de utroque cf. Strabo IX p. 395 et 399.

[4] *de Antigono Carystio* p. 21 adn. 10.

enim credendum est Theophrasfum discessisse in hac re a narratione Aristotelis h. a. VIII 28, 157 p. 605[b] 31 καὶ ἐν τῇ Βοιωτίᾳ ἀσπάλακες περὶ μὲν τὸν Ὀρχομενὸν πολλοὶ γίνονται, ἐν δὲ τῇ Λεβαδιακῇ γειτνιώσῃ οὐκ εἰσὶν οὐδ' ἂν τις κομίσῃ, ἐθέλουσιν ὀρύττειν. quin etiam nominare possumus veros auctores: priorem partem sine dubio Theopompo debet Antigonus coll. [Aristot.] mir. ausc. c. 124, alteram Timaeo coll. ibid. c. 83 et Diod. IV 17, 3.

Reliquum est ut separemus fragmenta libri περὶ τῶν ἀθρόως φαινομένων a libro περὶ τῶν αὐτομάτων. ac statim intelleges omnia fragmenta Rosei (p. 334—337) adscribenda esse libro περὶ τῶν ἀθρόως φαινομένων praeter unum quod servavit Antigonus hist. mir. c. 19 ὁ δ' Ἀριστοτέλης καὶ ἐκ τῶν σισυμβρίων φησὶ σαπέντων σκορπίους γίνεσθαι, cum per errorem Aristotelis nomen pro Theophrasteo poneret.

Iam ad alia transeamus. unus est inter Theophrasteos de animalibus libros cuius neque Roseus ulla proferat fragmenta neque ullum nominatim tradatur: liber περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους. mirum profecto esset, si huius eruditionem non expilassent Pythagorici posteriores et Platonici, ut suam doctrinam qua mentem animalibus quoque tribuebant demonstrarent; mirum porro, si ad talem librum non adiissent omnes qui qualemcunque ad finem sollertiam animalium praedicant, ut Plutarchus Aelianus multi alii. vel Stoicos eius opes non repudiasse suspiceris, ut egregie mundum a dis administrari probarent[1]. quo igitur veri est similius apud posteros scriptores huius libri vestigia latere, eo magis est dolendum, quod cum desint fragmenta nominatim adlata, omni unde proficiscamur in hac quaestione fundamento adhuc caremus. hoc prius erit iaciendum quam descendamus ad posterioris aevi scriptores, qui sedulo multis intercedentibus auctoribus undique congerebant multiplicem animalium notitiam. — et contingit nisi spes me fallit certius aliquid de hoc libro eruere. etenim animum advertamus ad nonum Aristotelis historiae animalium librum, quem Stagiritae non esse opus constat[2]. iam Dittmeyer (l. l. p. 161) cum obiter tangeret quaestio-

---

[1] cf. Cic. d. nat. deor. II 47, 121 sqq.

[2] cf. Dittmeyer *Blaetter f. d. bayer. Gymnasialw.* XXIII p. 16—29. 65—79, 145—161, cui assensus est Zeller *compendii philos. gr. ed. III (1889)* p. 150.

nem, quos auctores secutus esset scriptor illius libri Pseudaristotelici, ex eius argumento iudicavit non nulla capita ex Theophrasti libris περὶ τῶν λεγομένων φθονεῖν, περὶ τῶν μεταβαλλόντων τὰς χρόας, περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους vel ex alio eius de animalibus librorum fluxisse.

Atque primum quaerendum est, quo fere tempore scriptus sit nonus ille qui fertur hist. anim. liber. utitur eo iam Antigonus Carystius et videtur eum legisse non modo coniunctum cum historia animalium, verum etiam tamquam proprium libellum, qui diu solus pervulgabatur [1]: quin genuinum sit opus Aristotelis non dubitat. deinde Aristophanes Byzantius cum ceteris hist. anim. libris hunc quoque adhibet ad epitomen illam componendam. denique Hermippus, qui putatur auctor esse Aristoteleorum librorum indicis Laertiani, novem historiae animalium numerat libros. quo efficitur ut statuamus certe non multum post Theophrasti mortem nonum illum librum scriptum esse: nam temporis spatium aliquod relinquendum est, per quod inveteraverit consuetudo adnectendi eum historiae animalium, ita ut tertio saeculo fere medio pro Aristoteleo opere haberetur.

Quibus autem auctoribus tum uti potuit talis libri scriptor? — neque enim eum quae ipse aut observaverit aut audiverit ab aliis memoriae prodere apparet ex ipsa libri natura: excerpta cumulat scriptor rerum quas narrat imperitus et quidem pessime excerpta non sine repugnantiis et repetitionibus [2]. — quam ad quaestionem magni momenti est libri argumentum. agitur autem maxima ex parte de animalium moribus victu sollertia, id quod veteres iam viderunt, cum inscriberent huic libro aut περὶ ζῴων ἠθῶν (Athen. VII p. 282^c) aut περὶ ζῴων ἠθῶν καὶ βίων (Athen. VII p. 307^c) aut περὶ ζῴων φρονήσεως [3]. cui vero non

---

[1] cf. Wilamowitzius l. l. p. 19.

[2] cf. Dittmeyer l. l. p. 77—79, 145, 147, 149, 150—151. indiciorum quae arguunt excerptorem numerus facile augeri potest: cf. e. gr. quam male dicta sint c. 6, 43 p. 612^a 14 προσιέναι γὰρ ἐγγὺς (sc. τὰ θηρία) καὶ λαμβάνειν (sc. τὴν πάρδαλιν) οὕτω καὶ τὰς ἐλάφους, quam male narrata quae leguntur c. 39, 157 p. 623^a 1 sqq.; vide praeterea num offendas, si c. 8, 61 p. 613^b 22 legis: ὥσπερ δ' εἴρηται, κακόηθες τὸ ὄρνεόν ἐστι, cum antea frustra tale quid quaeras; etc.

[3] Porph[yr]. de abstin. III 6 p. 199, 12 N² ἃ δὴ ἐπὶ πλέον συνῆκται τοῖς παλαιο[ῖς ἐν] τοῖς περὶ ζῴων φρονήσεως τοῦ ταῦτα πολυπραγμονή-

statim in mentem venit idem argumentum tractasse Theophrastum in libro περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους? quis est quin concedat omnium maxime Theophrastum de rebus naturalibus consulere posteris par fuisse, omnium maxime Eresii cum Aristoteleis de animalibus iudicia ut coniungerent eos studuisse? itaque nihil videtur veri esse similius quam hunc Theophrasti librum adhibitum esse ad nonum h. a. librum componendum.

Sed etiam Eudemus Rhodius videtur scripsisse de simili argumento. etenim Apuleius dicit apolog. c. 36 Aristotelem et Theophrastum et Eudemum et Lyconem ceterosque Platonis minores plurimos de genitu animalium deque victu deque particulis deque omni differentia libros reliquisse. et habemus Eudemi cuiusdam de animalium sollertia amicitia erga homines amore fragmenta apud Aelianum[1] neque video cur negemus Rhodium talia scripsisse[2]. nam optime quadrant ad peripateticum philosophum ipsa fragmentorum indoles et ipsa quae tractantur argumenta; atque in Ethicis Eudemum videmus copiosam de animalibus prae se ferre eruditionem[3]. neque hoc discedit a veterum peripateticorum opinione quod ait Aelianus IV 53 εἶναι δὲ ἄλογα μὲν ζῷα, φυσικὴν δὲ ἔχειν ἀριθμητικὴν μὴ διδαχθέντα Εὔδημός φησιν. etiam Aristoteles λόγον et σοφίαν abiudicat animalibus, αἴσθησιν et φρόνησιν eis tribuit[4]. neque dissentit in hac re Theophrastus a magistro[5]. Strato contra

---

σαντος ἐπὶ πλέον Ἀριστοτέλους λέγοντος (h. a. IX 11, 72 p. 614b 31) πᾶσι τοῖς ζῴοις (hoc quidem non convenit cum [Aristot.]) μεμηχανῆσθαι πρὸς τὸν βίον καὶ σωτηρίαν αὐτῶν τὴν ⟨οἴκησιν⟩.

[1] d. n. a. III 20, 21; IV 8. 45, 53, 56; V 7; Mich. Apost. X 75 in Leutschi paroemiogr. II p. 507 haurit ex Aelian. IV 53.

[2] Brandisius *compend. philos. gr. et rom.* III p. 249 quod sciam solus fragmenta rettulit ad Eudemum Rhodium; dubitant et Fritzschius *praef. ad Arist. Eudem. Eth.* p. XIX et Spengelius *Eudem. fragm.* p. 172 et Zeller *hist. philos. gr.* II 2 p. 870.

[3] memorabilia haec sunt: p. 1224a 21, 1235a 19, 1235a 33, 1236b 6, 1240a 33, 1241b 3.

[4] cf. in primis Eth. Nic. VI 7 p. 1141a 26 sqq., Metaph. I 1 p. 980a 27 sqq. cum adn. Bonitzi, de anim. III 3 p. 427b 11, hist. anim. I 1, 18 p. 488b 15 et praesertim 24 sqq., de part. anim. I 1, 18 p. 641b 8, de gen. anim. II 6, 99 p. 744a 28 sqq., III 2, 36 p. 753a 7 sqq.; paullo aliter de gen. anim. I 23, 103 p. 731a 30 sqq.

[5] cf. Phot. bybl. cod. 278 p. 528b 10 sqq. B.

primus vel animalibus adscripsit νοῦν[1]. itaque ob hoc ipsum, etiamsi non obstaret temporum ratio, de eo non potest cogitari auctore noni h. a. libri, in quo huius doctrinae inest nec vola nec vestigium.

Sed priusquam aggrediamur ad ipsum librum, alia via certiores fieri possumus, unde maxima eius pars sit excerpta. quem ad finem sane pleniore opus est disputatione. constabat enim adhuc inter omnes [Aristot.] mir. ausc. c. 1—8, 11—15 originem ducere ab ipso illo nono h. a. libro. cui opinioni refragatur vel hoc quod c. 9 et 10 indidem non sunt repetita, quamquam aliae atque in ceteris res in eis non tractantur. Muellenhoffius[2] autem iam monuit capita quae arto quodam sententiarum vinculo coniuncta essent, necessario sibi vindicare unum eundemque auctorem. quam ad sententiam confirmandam e re esse censeo accuratius contemplari, qua arte ac ratione hic rerum mirabilium scriptor librum composuerit atque excerpta disposuerit.

Secernenda sunt a vetere libro capita 152—178; cf. Westermanni *paradoxogr.* p. IV et XXVI, Rosei *Arist. Pseudep.* p. 280. neque vero, ut voluit Westermannus, ex codicum condicione demonstrari potest c. 33—151 olim per se extitisse atque postea adiectam esse alteram rerum mirabilium collectionem (c. 1—32) ab alio scriptam[3]. immo certo videbimus ab uno scriptore profectum esse totum libellum: nam constat sibi excerpendi ratio. quae ratio haec est, ut semper scriptor eis quae ex auctore suo refert adponat verba φαςί λέγουςι λέγεται ὡς ἔοικε[4] μνημονεύουςι μυθολογοῦςι δοκεῖ similia. quibus formulis non solum introducit narrationem, ut hoc modo significet se aliorum auctoritatem sequi, verum plerumque tam anxie servat hunc morem, ut omnes capitum sententiae aut acc. c. inf. formam induant aut repetantur illa verba. etsi in ultima potissimum libri parte interdum praeter initia capitum oratione utitur recta, ut c. 102, 103, 112 (ubi p. 841ᵃ 5 pro ἐκβάλλειν scribendum est ἐκβάλλει), 115—118, 123, 137—139.

---

[1] cf. Epiph. exp. fid. p. 1090ᵃ πᾶν ζῷον ἔλεγε νοῦ (Zeller rest. pro ἔλεγεν οὐ) δεκτικὸν εἶναι et Plutarch. d. soll. anim. c. 3 p. 961ᵃ.

[2] *antiqu. German.* I p. 426 adn.

[3] cf. Roseus *de Arist. libr. ord. et auct.* p. 54.

[4] = ut fertur, cf. Bonitzius *ind. Arist.* i. v. ἐοικέναι; Wyttenbachius in Plut. de sera num. vind. p. 10 (p. 548ᵇ) et in *animadv. ad Plut. moral.* p. 41ᶜ; Hermannus ad Luc. quomod. conscrib. sit hist. p. 16.

non nulla autem capita primo obtutu prorsus discedere videntur ab hac ratione. sed in his res est longe alia. namque capitum quibus desunt illae formulae arte cum antecedentibus coniungenda sunt haec: 35, 40, 121. scilicet in eadem qua antecedentia re enarranda versantur et ex eodem auctoris loco sumpta sunt, id quod accidit etiam in c. **65** et **66**, **110** et **111**, praeterquam quod his locis pendet oratio a verbis illis declarandi in priore capite positis, in illis capitibus fit legitimus in orationem rectam transitus. praeterea non ipso capitis initio, sed in proxima demum sententia invenimus illud verbum c. **18**, **20**, **94**, **98**, **137**. id enim ipsum quod narrare vult scriptor et in quo cardo vertitur rei, in omnibus his capitibus incipit demum ubi posita est solemnis illa formula. accedit quod haec capita omnia praeter c. 137 propter rerum conexum non possunt disiungi ab antecedentibus. denique consentaneum est iure deserere scriptorem morem suum, si iam eius auctor certum quendam attulit testem[1], ut c. 38, 112, fortasse **130**[2], vel ipse verbis illis usus est, quod quando factum sit ignoramus[3].

Iam perspicitur nullo modo fieri posse, ut c. 51—60, quae sola prorsus discrepant ab hac excerpendi ratione neque ullum eius produnt vestigium[4], ad veterem librum pertineant et ab eodem atque cetera scripta sint[5]. etiam sermo eorum inflatus atque tumidus abhorrere videtur a reliqui libri simplicitate: sine dubio ab eius natura abhorret luculentum illud excerptorum signum quod deprehendimus c. 56 καὶ διότι[6] ἐπὶ τῆϲ ὁδοῦ τῆϲ εἰϲ Ϲυρακούϲαϲ κρήνη ἐϲτὶν κτλ. — itaque vel hac observatione cognoscitur postea male huc illa capita esse inserta. hoc eo confirmatur quod in c. 152—178, quae quin postea sint adiecta nequit dubitari, simile quid accidisse videmus. quamquam enim

---

[1] nam ipsos ex quibus haurit scriptores numquam nominat; cf. Muellenhoffius l. l. p. 437.

[2] initium capitis vix recte traditur.

[3] praesertim verbis μυθεύουϲι μυθολογοῦϲι similibus adhibitis haec suspicio oriri potest.

[4] aliter enim se habent verba δοκεῖ et φαϲί in c. 57.

[5] prudens igitur de his capitibus Rosei iudicium qui dicit l. l. p. 280: *c. 51—60 aut omnino aliena sunt et aliunde postea inserta aut alieno loco posita*. causam sane qua cogimur sic iudicare non perspexit. cf. etiam ibid. p. 255.

[6] immerito Apeltius correxit καὶ ἰόντι ἐπὶ τῆϲ ὁδοῦ.

eorum scriptor veteris libri morem imitari conatus multis capitibus verbum φαcί vel similia praemittit, ubi quod quidem sciamus eius auctor non adhibuit hanc dicendi formam[1], tamen quam non suam, sed alienam sequatur normam, facile inde intellegitur quod c. 154, 161, 164, 165, 168 plane obliviscitur illius legis cui se adstrinxit. neque iam dubitabis uni scriptori tribuere totius libri mir. ausc. compositionem, cum una excerpendi ratio per totum librum stricte servetur.

Capita vero 51—60 in pristinum libri conexum pessime inlata esse inde quoque apparet quod excerptorum secundum auctores adhibitos ordinem pessumdant, simulque manifestum redditur, id quod facit ad primorum quindecim capitum originem cognoscendam, ipsa excerpta arte quadam disposuisse scriptorem. nam ut c. 1—15 interim praetermittamus, c. 16—22 veri similiter sumpta sunt ex Theophrasti libro περὶ μελίτων[2]; c. 23—28 ex eiusdem libro περὶ τῶν ἀθρόως φαινομένων (cf. Roseus p. 334); c. 30 ex eiusdem libro περὶ τῶν μεταβαλλόντων τὰς χρόας (cf. Roseus p. 364); c. 33—40 ex eiusdem libro περὶ αἰθομένων (cf. Roseus p. 280); c. 41 ex eiusdem libro περὶ λίθων (cf. Roseus p. 280)[3]. vides in hac excerptorum serie scriptorem unius Theophrasti libros compilasse; unde probabiliter concludes etiam c. 29 et c. 31—32 ex eodem deprompta esse auctore. atque c. 29 vix aliunde potuit peti nisi ex libris περὶ ὕδατος (Laert. Diog. V 45); c. 31—32[4] autem optime quadrant ad argumentum libri περὶ παραφροσύνης (Laert. Diog. V 45).

Deinde continuantur excerpta Theophrastea, et quidem c. 42—50, 61—62 ex libro περὶ μετάλλων, c. 63—67 ex libro περὶ τῶν φωλευόντων, c. 68—70 ex libro περὶ τῶν κατὰ τόπους διαφορῶν, c. 71—74 ex libro περὶ τῶν ἐν ξηρῷ διαμενόντων, c. 75—77 ex libro περὶ τῶν λεγομένων φθονεῖν (cf. Roseus p. 280). hic paullulum subsistamus. perspicitur iam quo modo egerit scriptor in excerpendo. non turbulente diversa aut aliena

---

[1] apud auctorem invenit eam c. 152, 155, 177.

[2] cf. Roseus p. 280, Schrader *annal. phil.* 97 p. 222 sq.

[3] pleniora sunt quae hic leguntur quam quae extant in Theophr. fr. II 13 W.: sc. et haec et illa excerpta ex genuino libro Theophrasteo. cf. etiam Richter *de Aristot. probl.* Bonnae 1885 p. 9.

[4] de his probare nequeo Schraderi iudicium l. l. p. 220 nec Muellenhoffi l. l. p. 427.

miscuit, sed composuit quae habuit eiusdem argumenti excerpta, vel ut aliis verbis idem dicam, non prius ad alterum librum auctoris cuiusdam excerpendum transiit quam ex altero quae voluit plene perfecteque continua serie adposuisset. hanc ob causam c. 66 ex libro περὶ τῶν φωλευόντων depromptum esse, non ex libro περὶ τῶν λεγομένων φθονεῖν, ut Roseus dicit p. 371[1], necesse est: alioquin enim quae excerpta sunt ex libro περὶ τῶν φωλευόντων alio excerpto divelluntur. idem cadit in c. 68—70, quae Roseus p. 280 adscripsit libro περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν: at c. 69 nullo modo accommodari potest huius libri argumento, sed pertinet ad librum περὶ τῶν κατὰ τόπους διαφορῶν, cui c. 68 et 70 quoque tribuenda esse inde necessario concluditur. neque secus c. 51—60 turbant continuationem eorum quae excerpta sunt ex libro Theophrasteo περὶ μετάλλων: ea si sustuleris, pristinum et rectum excerptorum ordinem recuperabis. frustra autem Muellenhoffius l. l. p. 427 conatus est eidem περὶ μετάλλων libro addicere etiam c. 52, 58, 59. etsi ne ita quidem et propter externam excerptorum formam et propter ordinem eorum interruptum non concederemus a pristino libro aliena esse c. 51—60. et sane bonos auctores eorum scriptor adiisse videtur: nam c. 53 ex Phania[2] est sumptum, c. 54 ex Eudoxo[3] vel utrumque ex Callimacho, certe non ex Antigono ipso. nihilo minus c. 52 quidem omnino nequit pertinere ad librum περὶ μετάλλων, cum non agatur ibi de metallis, verum de rebus quae lapidescunt: eius originem nescimus. contra c. 58—59 Theophrastea continere apparet[4], sed veri est similius ea hausta esse ex eius ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι quam ex libro περὶ μετάλλων. inde enim secundum schol. in Apoll. Rhod. IV 834 habet sua Callimachus apud Antig. c. 130, quo cum capite c. 131 arte coniunctum est[5].

Quando autem capita 51—60 scripta et in veterem librum inserta sint — nam omnia eundem coniuncta intulisse per se est probabile —, definiri posse videtur ex c. 51. nam hic Pan-

---

[1] aliter ipse Roseus p. 280.

[2] cf. Antig. hist. mir. c. 156.

[3] cf. id. c. 162.

[4] cf. enim Antig. hist. mir. c. 131.

[5] utrumque caput historicis commentariis iam adscripsit Schneider Saxo Theophr. op. vol. V p. 291.

theum quoddam ut videtur Atheniense commemoratur: hoc autem sub Hadriano demum imperatore conditum est[1]. at tamen plures in hac re latent difficultates. nuper enim extitit Iordanus[2] qui omnino negaret commune illud omnium deorum sacrum, quod Hadrianum Athenis aedificasse tradit Pausan. I 18, 9, fuisse Pantheum aut umquam huius modi templum ibi conditum esse. hoc concedendum est ex Pausaniae verbis non sequi, ut Pantheum fuerit illud sacrum. sed deliberes quaeso, quid sit probabilius quam Hadrianum, si omnibus dis dedicavit delubrum, imitatum esse Romae urbis Pantheum[3]. quae sententia confirmatur, si diligenter perpendemus ea quae legimus in capite illo mir. ausc.: omnia clamant hic Pantheum Atheniense idque ab Hadriano conditum intellegendum esse. sane misere confusum est caput illud: continet sine dubio duas eiusdem rei narrationes, quarum altera incipit inde a verbis ἔcτι δὲ αὔτη[4]. si autem priorem illam narrationem omnino intellegere volumus, Athenis fuisse olivam illam Panthei statuendum est. quod eo probatur quod in altera commemoratur Ilissus flumen. sed fuerunt qui olivam Olympiacam dictam esse existimarent, ut scholiasta in Theocr. IV 7 et fortasse scholiasta in Aristoph. Plut. v. 586[5]. praeterea scholiasta in Pind. Olymp. III 60 et VIII 12 memoriae prodit Olympiae in Pantheo floruisse olivas, ex quibus coronae darentur victoribus[6]. de hoc vero Pantheo Olympiaco nihil aliunde compertum habemus: at scimus ex Pausan. V 15, 3

---

[1] primus hoc vidit Heynius in Beckmanni mir. ausc. edit. p. 414; cf. etiam Muellenhoffius l. l. p. 426.

[2] *ind. lect. Regimont.* 1883 p. 2 sqq.

[3] sic iudicavit etiam Wachsmuthius *die Stadt Athen im Altertum* I p. 691: Iordanus nimirum hoc concedere non potuit, quia Panthei notionem aliud significare sibi persuasit atque commune omnium deorum sacrum, sed eius opinio stare nequit, quod accuratius demonstrare non est huius loci.

[4] hoc partim iam cognovit Iordanus l. l. p. 9: non recte quidem dixit alteram capitis partem non comprehendere nisi verba ἀπὸ ταύτηc δὲ τὸ φυτὸν λαβόντες κτλ. numerus stadiorum in hac parte certo est corruptus.

[5] hic non necessario, quia etiam propago illius olivae appellari potuit καλλιcτέφανος ἐλαία. Duebner in adn. ad h. l. significari putat Pantheum Olympiacum.

[6] ex his locis Boeckhius in adn. ad schol. in Olymp. III 60 concludit Pantheum, de quo c. 51 dicitur, fuisse Olympiae.

Olympiae non in Pantheo quodam, sed ad Leonidaeum fuisse illum oleastrum, qui vocari solebat ἐλαία καλλιστέφανος. quid igitur accidit? ut ceteri illi scholiastae falso interpretati sunt Aristotelis personati locum, ita etiam Pindaricus errorem commisit ex eadem causa[1]. ipsius capitis 51 ratio flagitat, ut Pantheum Atheniense intellegamus idque situm ad Ilissum flumen. quid vero quod in hac ipsa regione novas Athenas condidit Hadrianus? ad Ilissum aedificavit Olympieum, prope quod Pantheum illud quaerendum esse Lollingius censuit[2]. accedit alia consideratio, quam debeo liberalitati Loeschcki. nisi enim ex altera capitis parte concludendum esse dicas iam olim de oliva quadam ad Ilissum narratam esse illam fabulam — aliunde quidem non est nota —, quo modo Hadriani temporibus oriri potuerit, patet. ille enim studuit, ut omnia quae condidit Athenis coniungeret cum Olympia: sic Κρόνου templum aedificandum et Iovis simulacrum antiquo more ex ebore et auro conficiendum curavit[3]. qua re cogitari potest eum hac fabula usum esse, ut ostenderet etiam inter olivam Panthei sui et oleastrum Olympiacum intercedere aliquam necessitudinem et conexum. quae si non sine veri similitudine statui, post Hadrianum demum inserta sunt capita 51—60, simulque rectius iudicabis de Pseudosotionis mirabilium rerum scriptoris[4] aetate. qui libelli sui c. 7 sumpsit ex mir. ausc. c. 56[5]. videtur igitur scripsisse non ante finem saeculi secundi p. Chr. n. pro certo autem habeo non omnia quae in eius libello legimus ex secundo ἀπίστων libro Isigoni esse excerpta[6]. cur enim excerptor, ut concedam ceterorum auctorum nomina apud Isigonum potuisse inveniri, non semper, ubi nullum invenit nomen, Isigoni adposuit, cur in tredecim capitibus auctoris nomen omnino omisit?

Sed redeo unde aberravi. restat ut in ceteris quoque mir. ausc. capitibus illum excerptorum ordinem servatum esse osten-

---

[1] idem statuit Iordanus l. l. p. 7.

[2] *Iwani Muelleri compend. philol.* III p. 322 adn.

[3] cf. Pausan. I 18, 6 sqq.

[4] in Westermanni *paradoxogr.* p. 183 sqq.

[5] vide ultima capitis 7 verba ὥς φησι Ἀριστοτέλης. c. 8 non fluxit ex mir. ausc. c. 57: refertur eadem res, sed ex Isigono paullo aliter atque brevius. idem auctor sine dubio utrique praesto erat.

[6] ut contendit Roseus *anecd. graec. et graecolat.* II p. 9 sqq., *Arist. Pseudep.* p. 280 sq.

dam. quod constat de fine libri: nam c. 137, 115—129, 138[1] deprompta sunt ex Theopompo[2] (cf. Roseus p. 280); c. 139—151 ex Theophrasti libro περὶ δακέτων καὶ βλητικῶν (cf. Roseus l. l.). tum recte c. 82—103 Timaeo adscribuntur (cf. Muellenhoffius l. l. p. 439 sqq.), sed non sunt excipienda c. 83 et 99, ut voluit Muellenhoffius, quia ab excerpendi more totius libri non recedunt. de ceterorum vero capitum origine valde fluctuat virorum doctorum iudicium. non omnia ex Timaeo excerpta esse[3] bene exposuit Muellenhoffius l. l. p. 429 sqq. neque Guenther[4], qui Rosei sententiam defendit, hoc mihi persuasit. nam c. 78—81 non possunt Timaeo tribui, quoniam c. 79 Diomedes necatur ab Aenea. Timaeus vero et Lycus Rheginus tradiderunt eum interfectum esse a Dauno (cf. Tzetzes ad Lycophr. v. 615; fr. 3 M.); nomen autem illud c. 79 cum Meursio mutare merae est libidinis. itaque ne ex Lyco quidem fluxerunt illa capita, cui Muellenhoffi coniecturae ex aliis causis recte adversatur Guenther l. l. p. 38 adn. 3. nescimus plane unde originem ducant. — neque certius quicquam eruere licet de c. 104—114, 130—136. de Timaeo vel ideo nequit cogitari, quod c. 104 non consentit cum Timaei opinionibus (cf. Muellenhoffius p. 431) et sic divellerentur quae ex eo excerpta essent. falsissima autem de c. 105 protulerunt Enmannus[5] et eum secutus Guenther l. l. p. 27 sq., quae omnia hic refellere longum est. haec tantum moneo ex verbis ϲημεῖον δὲ οὐ μόνον ἐν τοῖϲ νῦν καιροῖϲ ἑωράκαμεν (haec respiciunt

---

[1] sic enim sese excipiunt capita recto ordine restituto: c. 1—114, 130—137, 115—129, 138—151; cf. Roseus p. 280.

[2] addenda sunt haec testimonia quibus Theopompum deprehendimus: ad c. 123 Athen. I p. 34ᵃ (fr. 296 M.), ad c. 129 Athen. XI p. 476ᵈᵉ (fr. 43 M.). de capite 119 addo neque hic neque apud Antig. c. 173 Theopompi et Lyci narrationes contaminatas esse (cf. Schrader l. l. p. 227, Muellenhoffius l. l. p. 428 adn.). si enim memoria retinemus quae narrat ex Theopompo Antigonus, apparet apud Aelianum XVII 16 post verba βούλεται — παρεκλέγειν sine dubio ab Aeliano ipso adiecta Lyci additamentum non comprehendere nisi verba Λύκοϲ — χρόαν, tum acc. c. inf. forma continuari Theopompi narrationem. falso igitur Mueller Theopompi fr. 143 circumscripsit verbis Θεόπομποϲ — παρεκλέγειν.

[3] ut voluit Roseus p. 280.

[4] *de ea quae inter Timaeum et Lycophronem intercedit ratione* Lipsiae 1889.

[5] *quaestiones de auctoribus quibus usus sit Pompeius Trogus in hist. gr. et sicil. enarranda* 1880 p. 193 sqq.

sine dubio ad c. 104), ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν ἀρχαίων μᾶλλον, οἷον τὰ ἐκεῖ ἄπλωτα εἶναι nihil posse concludi, quia manifesto sunt corrupta, atque ex verbis φασί λέγουσιν etc. non necessario sequi, ut hic aliorum afferantur opiniones, cum haec sit legitima excerptorum forma. contra Muellenhoffius l. l. p. 429 sqq. comprobasse sibi videtur c. 104—110 repetita esse ex Lyco Rhegino, c. 111—114, 130 ex eiusdem libro περὶ Σικελίας, c. 131—136 ex eius ἱστορίᾳ Λιβύης. sed haec mera coniectura est, quae omni caret fundamento. immo unico loco ubi certum testimonium adfert Muellenhoffius (c. 113—114), contrarium demonstratur Lycum non esse adhibitum. nam ut omnino fontes iidem dicantur, longe aliter ex Lyco rem narrat Antigonus c. 139 atque mir. ausc. c. 114. certe non licebat Muellenhoffio in rem suam abuti locis Athen. II p. $42^e$ et Vitruv. VIII 3, 8. haec tantum abest ut sint excerpta ex Lyco, ut apud Athen. II p. $41^f$ propriis verbis nominetur eorum auctor, scilicet Theophrastus[1].

Acquiescendum igitur est in iis capitibus, de quorum auctoribus non potest dubitari. haec omnia ostendunt sic excerpsisse mir. ausc. scriptorem, ut iis quae ex uno auctoris cuiusdam libro sumpsit non interponeret capita aliunde petita. propterea actum iam est, ut longioris disputationis summam faciam, de vulgari illa opinione, qua putabant ex nono h. a. libro deprompta esse c. 1—8, 11—15: nam pessime turbarent ordinem horum excerptorum c. 9 et 10 aliunde hausta. sed etiam ipsa capita necesse est accuratius cum nono illo libro comparentur.

Vnde quominus sumpta sint c. 2, 4, 7, 11—13 nihil per se obstat. aliter res se habet in ceteris capitibus. cf. enim c. 1 cum h. a. IX 45, 230 sqq. p. $630^a$ 18 sqq. praeter nominum differentias, quibus nihil est tribuendum, cum in his etiam Antigonus c. 53 discedat a nono libro, hic habes: λέγουσι τὴν μὲν ὅλην φύσιν παραπλήσιον εἶναι βοΐ, διαφέρειν δὲ τῷ μεγέθει καὶ τῇ εὐρωστίᾳ, illic: τὸ δὲ μέγεθός ἐστιν ἡλίκον ταῦρος καὶ ἔστιν ὀγκωδέστερον ἢ βοῦς· οὐ γὰρ πρόμηκές ἐστιν; hic: ὅταν δ' ἐκδαρῇ τὸ δέρμα, κατέχειν τόπον ὀκτακλίνου, illic: τὸ δὲ δέρμα αὐτοῦ κατέχει ὡς ἑπτάκλινον ἀποταθέν. capite 2 mir. ausc. scriptor adicit ἐν Ἀραβίᾳ quod non habet [Aristot.] IX 47, 237 p. $630^b$ 31, sed per se rectum esse potest. mirum autem in modum studebat scriptor singulis capitibus praemittere

---

1 eundem errorem commisit Enmannus l. l. p. 201.

regionum indicia, quae de suo addidisse putandus est. similiter atque hic c. 6 ἐν Ἀρμενίᾳ, c. 7 ἐν Αἰγύπτῳ, sed prorsus inepte c. 3 ἐν Ἑλίκῃ, c. 5 ἐν Ἀχαΐᾳ[1], c. 8 ἐν Βυζαντίῳ[2], c. 75 τὰς ἐν Ἠπείρῳ ἐλάφους. sequitur c. 3 coll. h. a. IX 29, 105 sqq. p. 618ª 8 sqq.; ubi vide quam diversa avium genera indicentur: in turturum nidis cuculum ova sua deponere, quod in mir. ausc. traditur, eius rei in nono libro vestigium extat nullum[3]. praeterea mirum est quod ex multis modis, quibus illic interire dicuntur avium pulli, hic is solus commemoratur qui breviter atque paullo aliter significatur apud [Aristot.] οἱ δὲ (sc. λέγουσι) κρείττω ὄντα ἀποκτιννύναι συντρεφόμενον αὐτοῖς. deinde c. 5 cf. cum h. a. IX 5, 34, 37, 38 p. 611ª 25 sqq. 611ᵇ 8 sqq. non legis in nono libro sententiam καὶ διὰ τὸ πονεῖν τοὺς τόπους ὅθεν τὰ κέρατα ἀπέβαλον neque quid hic ea sibi velit intellegis. cur enim cervi hanc ob causam petant loca deserta? at habes h. a. IX 5, 37 p. 611ᵇ 11 verba κρύπτουσι δ' ἐν τοῖς δασέσιν εὐλαβούμενοι τὰς μυίας[4]; neque vero hic dicitur cur tum praesertim caveant muscas cervi. sed omnia plana sunt, si coniungis has duas sententias: se abdunt cervi metu muscarum, ne hae augeant dolorem locorum unde deciderunt cornua. manifestius igitur hic cognoscitur diversa ex eodem libro excerpta praebere mir. ausc. capita et noni libri locos. idem probatur capitis 6 cum h. a. IX 6, 43 p. 612ª 7 sqq. collatione. sine dubio c. 6 narratur, quo modo pantheras venari soleant. atque recte procedit oratio, praeterquam quod non commemoratur causa cur stercus humanum quaerant pantherae et cur vas illud stercore plenum suspendant venatores neque exspectent, dum veneno gustato nec stercore invento moriatur animal. hae causae indicantur in nono libro verbis βοηθεῖ γὰρ αὐτῇ· διαφθείρει δὲ τοῦτο τὸ φάρμακον καὶ λέοντας atque ὅπως μὴ ἀποχωρῇ μακρὰν τὸ θηρίον. contra si in nono libro

---

[1] sc. pro ἀχαΐνῃ ἐλάφῳ [Aristot.] IX 5, 38 p. 611ᵇ 18, de quo cf. Keller *de animalibus antiqu. class.* p. 79 et 91; aliter Beckmannus ad mir. ausc. c. 5.

[2] cf. [Aristot.] IX 6, 49 p. 612ᵇ 8.

[3] sed fit hoc re vera: cf. Brehmius *de vita animal.* IV p. 197.

[4] male Aubertus et Wimmer mutant τὰς ἀγυιάς. recte iam explicavit locum Rittershusius ad Opp. Cyn. II 215: *muscarum morsus metuunt, quae radices cornuum teneras facile perforarent cum summo cervorum dolore.*

omittitur venenatam carnem proicere pantherae venatores, tota res prorsus obscura manet. nam qui sciunt illi venatores plantam illam noxiam comesse animal, et nisi ipsi hanc ei porrigunt, quid proficiunt aliis illis machinationibus? supplent igitur rursus se invicem duae illae narrationes. iam venimus ad c. 8 coll. h. a. IX 6, 49 p. 612ᵇ 4 sqq. atque hic male excerpsit communem auctorem mir. ausc. scriptor: nam cum in nono libro omnia bene fluant, hic equidem verba καὶ ὅταν μὲν ᾖ νότια, ἐκ τοῦ ἐδάφους τὰς ὀπὰς ποιεῖσθαι, ὅταν δὲ βόρεια, ἐκ τῶν τοίχων non intellego. error excerptoris subest: videntur agnosci quae opposita sunt in nono libro οἱ μὲν ἐν τῇ γῇ et οἱ δὲ ἐν ταῖς οἰκίαις, in verbis ἐκ τοῦ ἐδάφους[1] et ἐκ τῶν τοίχων. postremo cf. c. 15 cum h. a. IX 19, 95 p. 617ᵃ 11 sqq. et IX 49ᵇ, 254 p. 632ᵇ 16. hoc sane caput non potuit sumi ex nono libro: neque enim omnino ibi invenitur ultima eius sententia ἐκπορεύεσθαί τε πρὸς τὴν σελήνην κτλ. dubium autem est num inde petita esse possint verba καὶ φωνὰς ποικίλας προίεσθαι; certe valde est veri dissimile locos tantum inter se distantes adiisse excerptorem.

Haec si recte disputavi, mir. ausc. c. 1—15 ex uno eodemque auctoris cuiusdam libro manaverunt, ex quo etiam noni h. a. libri scriptor partem commentationis suae compilavit. hic vero auctor eo ipso c. 9, cui nihil respondet in nono libro, manifesto deprehenditur. nam partem huius narrationis inter Theophrastea refert Aelianus III 32 αἶγες δὲ ἄρα αἱ Κεφαλληνίδες οὐ πίνουσι μηνῶν ἕξ (cf. Roseus p. 331, 6); Aeliani autem haec narratio sine dubio sumpta est ex libro περὶ τῶν κατὰ τόπους διαφορῶν. quin etiam alia via demonstrari potest horum capitum auctorem esse Theophrastum. an negabis, si res in his tractatas Theophrastum novisse ex superstitum eius librorum locis videris, effici eas in ipsis de animalibus libris ab eo commemoratas esse? immo certum hoc est in iis quae de animalibus ad comparationem adfert in illis de plantis libris, cum hic saepius suos περὶ ζῴων libros respiciat et ad eos releget lectorem[2]. nunc vero ad c. 3 cf. de caus. pl. II 17, 9 οὔτε γὰρ ἴσως ταῖς πίνναις βίος εἰ μὴ διὰ τὸν κάρκινον οὐδ' ἡ τῶν με-

---

[1] ἔδαφος sic e. gr. ap. [Aristot.] IX 32, 119 p. 619ᵇ 2 et saepius apud Theophrastum; cf. Wimmeri indicem ad libros de plantis.

[2] cf. supra p. 6.

λιττῶν φύσις εἰ μὴ διὰ τὸν γόνον, ὥς φασί τινες, οὐδ' ἡ τοῦ κόκκυγος, εἰ μὴ ἦν ἡ ὑπολαΐς[1], ᾗ εἰς τὴν νεοττιὰν τὰ ᾠὰ τίθησιν; ad c. 4 cf. h. pl. IX 16, 1 τὸ δὲ δίκταμνον ἴδιον τῆς Κρήτης, θαυμαστὸν δὲ τῇ δυνάμει..... σπάνιον δέ ἐστι· καὶ γὰρ ὀλίγος ὁ τόπος ὁ φέρων καὶ τοῦτον αἱ αἶγες ἐκνέμονται διὰ τὸ φιληδεῖν. ἀληθὲς δέ φασιν εἶναι καὶ τὸ περὶ τῶν βελῶν, ὅτι φαγούσαις ὅταν τοξευθῶσιν ἐκβάλλει[2]; ad c. 5 cf. de caus. pl. II 17, 4 ὃ καὶ ἐπὶ τοῦ κιττοῦ τοῦ περὶ τὰ κέρατα (sc. ἐλάφου) βλαστοῦντος, εἴπερ ἦν οὐκ ἄλογον; ad c. 8 cf. fr. VI 30 W.[3] ἐχῖνος ὁ χερσαῖος σημαντικόν· ποιεῖται δὲ δύο ὀπάς, ὅπου ἂν οἰκῇ, τὴν μὲν πρὸς βορρᾶν, τὴν δὲ νοτόθεν· ὁποτέραν δὲ ἂν ἀποφράττῃ, ἐντεῦθεν πνεῦμα σημαίνει, ἐὰν δ' ἀμφοτέρας, ἀνέμου μέγεθος, quibus verbis aditus aperitur ad intellegenda quae mir. ausc. c. 8 et libri noni loco de ea re feruntur.

Si autem c. 3, 4, 5, 8, 9 Theophrastea continent, etiam cetera huius esse auctoris evictum est. cui vero eius libro sint adscribenda perspicuum est. agitur fere in omnibus de moribus vita sollertia animalium. ultro igitur se offert nobis titulus περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους[4]. atque etiam c. 12, ubi nihil inest talis argumenti, huc spectat, cum h. a. IX 6, 50 p. 612b 12 sqq. ἦθος animalis commemoretur.

Duas autem hic adiungam observationes quae iuvabunt sequentem disputationem. primum enim hic iam videmus, quam saepe in ipsis de animalibus libris eadem repetierit Theophrastus, quae quidem idonea essent ad plures quas tractavit res illustrandas, e. gr. et invidiam et sollertiam. sic in libro περὶ τῶν

---

[1] haec avis commemoratur h. a. IX 29, 105 p. 618a 10.

[2] haec fabula hodieque narratur a venatoribus Cretensibus, cf. Keller l. l. p. 36.

[3] hoc sane fragmentum ut nobis traditur a Theophrasto conscriptum non est, sed contra Heegerum (*de Theophr. qui fertur* περὶ σημείων *libro* Lipsiae 1889 p. 8) moneo Theophrastum, cuius liber περὶ σημείων memoratur a Laert. Diog. V 45, adhibitum esse vel inde apparere quod non nulla consentiunt cum fragmento περὶ ἀνέμων, cf. § 29 cum fr. V 5 W., § 30 cum fr. V 58 W., § 33 cum fr. V 15 W. in hac re rectius quam Heeger iudicavit Boehmius *de Theophr. quae feruntur* περὶ σημείων *excerptis* diss. Hal. 1884, cuius reliquam de hoc fragmento ratiocinationem valde improbo. itaque meo iure uti hoc fragmento mihi videor ad Theophrasteas de animalibus opiniones cognoscendas.

[4] huius libri esse c. 9 et 10 iam Roseus p. 332, 5 quamvis caute affirmavit.

κατὰ τόπους διαφορῶν narravit in Cephallenia insula capras sex menses non bibere (Ael. III 32): idem commemorat in libro περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους (mir. ausc. c. 9), sed adicit, id quod sollerter eas sitis remedium sibi parare ostendit, cottidie ore aperto ex alto ventos eas recipere. huius moris plura exempla vide apud Roseum p. 366, 1; p. 371, 8; quibus adde quod et in libro περὶ τῶν κατὰ τόπους διαφορῶν (cf. Roseus p. 330, 4) et in libro περὶ τῶν ἐν ξηρῷ διαμενόντων (fr. 171, 5 W.) dixerat polypos non esse in Hellesponto. quam ob rem etiam ceteris de animalibus libris uti licet ad restituendum librum περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους. saepissime vero, ut cum plantis quae in animalibus fiunt quaeque ibi fusius exposuerat, comparare eum iam cognovimus, ita in ceteris quoque diversi generis libris eadem tangit atque in illis de animalibus libris, cuius rei exempla vide apud Roseum p. 354, 1; 371, 7; 351, 16. — alterum hoc est: miratus quaeras quid in libro περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους sibi velint tales animalium descriptiones quales legimus mir. ausc. c. 1 et 12. at hic perspicitur proprietas illa Theophrasteorum studiorum, ut quae Aristoteles tractare coeperat, perficiat suppleat corrigat[1]. etenim de bonaso Aristoteles h. a. II 1, 12 p. $498^b$ 29 sqq. 19 p. $499^b$ 31 sqq. alio consilio disiecta profert descriptionis membra; sui ipsius causa animal non describitur. neque de mustela aliter res se habet, cf. Arist. h. a. II 1, 24 p. $500^b$ 23. eodem modo etiam ceteris de animalibus libris Theophrastus descriptiones inserit, praecipue eorum animalium quae non novit omnino Aristoteles, cf. Roseus p. 336 et 337, p. 364 sq. (Phot. bybl. cod. 278 p. 525, 1 sqq. B.), fr. 171, 2 W. summi autem est momenti quod idem mos per totum usurpatur h. a. librum nonum. sed maximam cautionem in hac re adhibendam esse me monuit Vsener, ne efficiatur naturalis historia quae erat de animalium sollertia commentatio, atque unum quod huc facit hic iam animadvertas: bonasi descriptio-

---

[1] hanc rationem Aristotelem inter et Theophrastum intercedere in zoologicis libris iam monuit Franciscus Patricius *disc. perip.* I libr. XII p. 153 et 155 ed. Basil. 1781, cf. etiam Ernestus Meyer *hist. herb.* I p. 156 sq.; de hist. plant. cf. Kirchner *annal. philol. suppl.* VII p. 532; in universum et praesertim de libris historicis Vsener *annal. boruss.* 1884 p. 21 sqq. cf. etiam testimonia veterum Boëth. in Arist. περὶ ἑρμ. II 12, 9 et Priscian. Lyd. metaphr. περὶ αἰσθ. p. 36, 6 Byw., quae adfert Heylbutius *Arch. f. Gesch. d. Philosoph.* I p. 194 sqq.

nem quae extat in mir. ausc. c. 1 comparanti cum longiore h. a. IX 45, 230—233 p. $630^a$ 20—$^b$6 facile apparebit ultimam partem p. $630^a$ 35—$^b$6 adiectam esse ex alio auctore. neque enim harum rerum quicquam legitur in mir. ausc. et verba p. $630^a$ 35 τὸ δὲ προκόμιον καθήκει ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμούς idem repetunt quod antea iam dictum est p. $630^a$ 26 βαθεῖα δὲ καὶ μέχρι τῶν ὀφθαλμῶν καθήκουσα ἡ χαίτη ἐστὶ καὶ πυκνή. videtur igitur etiam ipse scriptor libri noni interdum ex naturali quadam historia addidisse descriptiones vel supplevisse Theophrasti.

Via munita tandem revertamur ad ipsum unde profecti sumus h. a. nonum librum. liquet nunc quam in partem quaque ratione instituenda sit quaestio. Theophrastum cognovimus communem fuisse auctorem et mir. ausc. c. 1—15 et non nullorum noni libri locorum. Theophrastei igitur libri περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους vestigia in nono libro amplius et accuratius perscrutanda sunt, quem ad finem non secus atque huc usque usui erunt eae de animalibus opiniones quas Theophrasteas esse ex ceteris eius libris videmus.

Cohaerent quae narrantur c. 3 et 4 p. $610^b$ 20 sqq. atque § 30 p. $610^b$ 28 legimus in editionibus τῶν δ' αἰγῶν ὅταν τις μιᾶς λάβῃ τὸ ἄκρον τοῦ ἠρύγγου — ἔστι δ' οἷον θρίξ —, αἱ ἄλλαι ἑστᾶσιν ὥσπερ μεμωρωμέναι βλέπουσαι εἰς ἐκείνην. de hoc loco, de quo hariolantur interpretes, unice verum olim iam dixit Salmasius[1]. etenim secundum Antigon. c. 107 scribendum est τῶν δ' αἰγῶν ὅταν τις μία[2] λάβῃ τὸ ἄκρον τοῦ ἠρύγγου κτλ. deinde ὁ ἤρυγγος planta est eademque ac τὸ ἠρύγγιον, non caprarum barba[3]. hoc posito tota res intellegitur: mirum profecto est quod capra tangit hanc plantam cuius in foliis eminent

[1] *de homonymis hyl. iatr.* p. 77 G. Salmasi argumentationem confirmat Beckmannus in ed. Antig. Car. p. 166.

[2] Salmasius: μία τις, sed alter iste verborum ordo videtur ferri posse, ita ut acutius enuntietur verbum μία, cf. e. gr. Plato Soph. p. $235^b$.

[3] barbam praeter alios etiam Dittmeyer l. l. p. 69 intellegit. utramque interpretationem adfert Plinius n. h. VIII 203 sq. scholiasta ad Nicandr. Ther. v. 645 de planta loquitur; quem adfert locum [Aristotelis] hiatu laborare me docuit Usener et sic fere esse restituendum: Ἀρ. περὶ ἠρύγγου διαλεγόμενος φησίν· ἐὰν (libri: φησὶ νέαν) ἀγέλης αἰγῶν διαπορευομένης ⟨ὁ τράγος λάβῃ τὸ ἄκρον τοῦ ἠρύγγου⟩, καὶ αὐτὸς ἵσταται (libri: ἵστατο) καὶ οἱ ἐπακολουθοῦντες. falsissime locum et interpretatur et ad Aristotelis librum περὶ φυτῶν refert Ernestus Meyer *hist. herb.* I p. 90 sq.

spinae secundum Theophr. h. pl. VI 1, 3 τὰ δὲ φυλλάκανθα καθάπερ ἄκανος ἠρύγγιον κνῆκος. ταῦτα γὰρ καὶ τὰ τοιαῦτα ἐπὶ τῶν φύλλων ἔχει τὴν ἄκανθαν, διὸ καὶ φυλλάκανθα καλεῖται. idem autem praeter alias res mirabiles occasione data in libro περὶ τῶν λεγομένων φθονεῖν commemorat Theophrastus in Phot. bybl. cod. 278 p. 528[b] 24 B. (cf. Roseus p. 356) διὰ τί ἡ αἴξ, ὅταν λάβῃ τὸ ἠρύγγιον εἰς τὸ στόμα, μένει καὶ τὰς ἄλλας ἵστασθαι ποιεῖ[1]. ergo veri est simile omnia quae capitibus illis narrantur quamvis male excerpta esse ex Theophrasto.

Idem cadere in totum caput 5 p. 611[a] 15 sqq., quo agitur de cervorum sollertia, demonstrari potest. nam cum § 34 p. 611[a] 25 sqq. et § 37 p. 611[b] 8 sqq. Theophrastea contineri pateat ex mir. ausc. c. 5, per se est probabile totam expositionem esse Theophrasti. et hoc evincitur, si inspicimus Plinii n. h. VIII 112 sqq. hic vel eius auctor manifesto adhibuit plures libros et omnia quae de cervo in eis invenit congessit. itaque § 112 verba *conceptuus earum — abluant imbres* et § 113 verba *et alias semper — rumpatur intus* sumpta sunt ex Aristotelis h. a. VI 29. ceterae quae narrantur res magna ex parte conspirant cum nono h. a. libro; sed minime hunc adiisse Plinii auctorem et ex multis similis argumenti additamentis apparet et eo quod apud Plinium § 115 extat *dextrum cornu negant inveniri ceu medicamento aliquo praeditum,* cum § 34 p. 611[a] 29 legamus λέγεται δ' ὡς τὸ ἀριστερὸν κέρας οὐδείς πω ἑώρακεν· ἀποκρύπτειν γὰρ αὐτὸ ὡς ἔχον τινὰ φαρμακείαν. nunc vero idem de dextro cornu narraverat Theophrastus in libro περὶ τῶν λεγομένων φθονεῖν (cf. Roseus p. 354 sq.), quem librum Plinius l. l. § 115 significat sententia *sed et hi bono suo invidentes.* praeterea § 118 adhibitus est Theophrasteus περὶ δακέτων καὶ βλητικῶν liber (cf. Roseus p. 339, 30 sq. et 347, 7). iam ab ipso Plinio laudatur Theophrastus § 111 et adferuntur loci libri περὶ τῶν λεγομένων φθονεῖν (cf. Roseus p. 355, 4) et libri περὶ δακέτων καὶ βλητικῶν (cf. Roseus p. 349, 12). quid igitur probabilius quam omnia quae de cervorum sollertia moribusque narrantur tribuenda esse Theophrasteo libro περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους? quam male autem disposita sint Plinii excerpta, unum luculentum

---

[1] schol. ad Nic. Ther. v. 645 verbis καὶ αὐτὸς ἵσταται καὶ οἱ ἐπακολουθοῦντες propius accedit ad Theophrasti quam ad [Aristotelis] verba, ita ut de origine eius dubites.

superest testimonium. an intellegis § 112 verba *cervis quoque est sua malignitas quamquam placidissimo animalium*, an inest ulla malignitas in eis quae sequuntur? alia scilicet de animalium invidia addere voluit scriptor, sed ad cervos delatus, priusquam ipsum eorum invidiae indicium adferret (§ 115), partim quae de eorum sollertia victuque habuit cognita immiscuit, ita ut inepta fieret ea qua caput incipit sententia. — sic Plinii locus nos docet et quae legimus h. a. IX 5 et alia, velut quae habemus apud Plinium VIII 114 inde a verbis *cetero animal simplex* Theophrastum tradidisse in libro περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους. de noni libri capite sane obstare videtur quod § 34 p. 611ª 29 commemoratur sinistrum, non dextrum cornu. et re vera haec est quaedam difficultas. nam calami errore non esse ortum verbum ἀριστερόν constat ex Aristophane Byzantio qui habet p. 127, 10 L. τὸ ἀριστερὸν κέρας ἀποβαλοῦσα κατορύσσει φθόνῳ[1], et alio modo idem Theophrastum narrasse in libro περὶ τῶν λεγομένων φθονεῖν, alio in libro περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους vix licet conicere. nihil iam relinquitur[2] quam excerptori tribuere hunc errorem, sive lacuna exemplaris sui, ut proposuit Vsener, deceptus est[3] sive omnino negligenter egit. neque enim puto hanc unam discrepantiam pervertere disputationem meam, quoniam multo plures causae suadent, ut Theophrasto deberi hoc noni libri caput statuamus. si autem res ita se habet, statim videmus falsum esse Dittmeyeri iudicium[4] qui putat § 33 p. 611ª 15 sqq. compositam esse ex frustis collectis ex Aristot. h. a. VI 29, 171 p. 578ᵇ 16 sqq. etenim ut non est excerptoris tam libere uti auctore suo, ita satis est notum Theophrastum ubi easdem atque Aristoteles tetigit res saepe, si consentit cum magistro, etiam ipsa eius verba repetiisse[5]. cautione igitur opus est in hac re, in qua Dittmeyerum plerumque errasse video.

---

1 hic rursus apparet Theophrastum quoque Aristophani adfuisse (cf. p. 7 adn. 2). unde enim nisi ex hoc potuit adicere φθόνῳ hoc facere cervos? idem observamus p. 127, 7 L. κατεσθίει δὲ τὸ χόριον ὡς καὶ οἱ κύνες, cf. Theophr. in Phot. bybl. cod. 278 p. 528ᵇ 17 B. (Rosei p. 356, 1) καθάπερ οἱ κύνες καὶ αἱ ὕες καὶ σχεδὸν τὰ τετράποδα πάντα· κατεσθίει γὰρ τὰ χόρια μετὰ τοὺς τόκους.

2 neque enim huc facit explicatio Beckmanni ad mir. ausc. p. 151.

3 e. gr. λέγεται δ' ὡς τὸ ἀριστερὸν κέρας (ἀποβληθὲν ἔσθ' ὅτε εὑρίσκεται, τὸ δὲ δεξιὸν κέρας) οὐδείς πω ἑώρακεν κτλ.

4 l. l. p. 25 sq.

5 cf. Kirchner l. l. p. 532; Ernestus Meyer l. l. p. 154; Heylbutius

Pergamus nunc ad c. 6 p. $611^b$ 32 sqq. omnia optime quadrant ad argumentum libri περὶ ζῴων φρονήϲεωϲ καὶ ἤθουϲ et Theophrastea esse quae narrantur § 42 p. $612^a$ 3, 43 p. $612^a$ 7, 45 p. $612^a$ 20, 46 p. $612^a$ 24, 49 p. $612^b$ 4, 50 p. $612^b$ 10 iam cognovimus, cum perlustraremus mir. ausc. c. 4, 6, 7, 8, 11, 12. sed accedunt alia. § 41 p. $611^b$ 34 καὶ ὅταν ἐκ τοῦ φωλεοῦ ἐξέλθωϲι, πρῶτον τὸ ἄρον ἐϲθίουϲιν, ὥϲπερ εἴρηται πρότερον, καὶ τὰ ξύλα διαμαϲῶνται ὥϲπερ ὀδοντοφυοῦϲαι lector relegatur ad Aristot. h. a. VIII 17, 112 p. $600^b$ 9 λέγεται δὲ καὶ διὰ τὸ μηδὲν προϲφέρεϲθαι τὸ ἔντερον ὀλίγου ϲυμφύεϲθαι αὐτῇ (sc. τῇ ἄρκτῳ) καὶ διὰ τούτου πρῶτον ἐξιοῦϲαν γεύεϲθαι τοῦ ἄρου πρὸϲ τὸ ἀφιϲτάναι τὸ ἔντερον καὶ διευρύνειν. luce est clarius noni libri locum non esse excerptum ex Aristotele[1]: nam plura praebet quam ille. hoc ipso noni libri additamento καὶ τὰ ξύλα διαμαϲῶνται ὥϲπερ ὀδοντοφυοῦϲαι agnoscis Theophrasteam originem. is dixerat in libro περὶ τῶν φωλευόντων secundum Plin. n. h. VIII 129 *exeuntes herbam quandam arum nomine laxandis intestinis alioquin concretis devorant circaque surculos dentium praedomant esuriam*[2]; cf. Roseus p. 369 sq., qui recte totum locum VIII 126—129 Theophrasto adscribit. hanc igitur rem, qua sane animalis sollertia proditur, repetiit Theophrastus in libro περὶ ζῴων φρονήϲεωϲ καὶ ἤθουϲ, sed ne hic quidem potuit omittere causam cur arum herbam ederent ursi. eandem scilicet indicavit atque Aristoteles, ut apparet ex Plinio; libri noni autem scriptor eam praetermisit, quia relegare potuit lectorem ad locum Aristotelis[3]. — plura vero quam c. 6, 41 p. $611^b$ 32 sqq. legimus de ursis Theophrastus narravit. probabile enim videtur etiam n. h. VIII 129—131 Plinium vel eius auctorem illum secutum esse, et ad librum περὶ ζῴων φρονήϲεωϲ καὶ ἤθουϲ bene accommodantur haec: *oculi eorum hebetantur, qua maxime causa favos expetunt, ut convulneratum ab apibus os levet sanguine gravedinem illam. invalidissimum urso caput, quod leoni firmissi-*

---

*de Theophr. libris* περὶ φιλίαϲ Bonnae 1876 p. 7. unum addo exemplum: cf. Theophr. fr. VIII 8 W. cum Aristot. de caelo II 8 p. $290^a$ 17 et 20.

[1] ut voluit Dittmeyer l. l. p. 26.

[2] ex coniectura Vseneri: codd. *praedomantes horam.*

[3] si eadem refert quae antea iam commemorata sunt in Aristot. h. a. modo hoc significat scriptor, ut. c. 6, 50 p. $612^b$ 15; 29, 105 p. $618^a$ 8 (ὥϲπερ εἴρηται ἐν ἑτέροιϲ); 40, 175 p. $624^b$ 21; etc., modo non significat, ut c. 34, 123 p. $619^b$ 24; 37, 140 p. $621^a$ 20; etc.

*mum. ideo urguente vi praecipitaturi se ex aliqua rupe manibus cooperto iaciuntur ........ ingrediuntur et bipedes. arborem aversi derepunt. tauros ex ore cornibusque eorum omnibus pedibus suspensi pondere fatigant. nec alteri animalium in maleficio stultitia sollertior.* neque falsam esse hanc coniecturam eo demonstrari videtur quod Aelianus VI 9 cum narrationibus quae extant initio c. 6 noni libri coniungit ursi cum tauro pugnam quam legimus apud Plinium n. h. VIII 131[1]. — redeo ad sextum libri noni caput. illam de venatione pantherae narrationem sequuntur § 43 p. 612ª 12 verba λέγουσι δὲ καὶ κατανενοηκυῖαν τὴν πάρδαλιν, ὅτι τῇ ὀσμῇ αὐτῆς χαίρουσιν τὰ θηρία, ἀποκρύπτουσαν ἑαυτὴν θηρεύειν κτλ. Theophrastea est haec observatio, cf. d. caus. pl. VI 5, 2 ἐπεὶ καὶ τὴν πάρδαλιν τοῖς μὲν ἄλλοις ἡδύ φασιν ὄζειν, διὸ καὶ θηρεύειν αὐτὴν κατακειμένην καὶ ταύτῃ προσαγομένην, ἡμῖν δ' οὐδεμίαν εὐωδίαν ἐμφαίνει. quid quod totum argumentum, quod explicatur § 42 p. 612ª 1—48 p. 612ª 34 et indicatur verbis πολλὰ δὲ καὶ τῶν ἄλλων ζῴων . . . ποιεῖ πρὸς βοήθειαν αὑτοῖς φρονίμως, Theophrastus adumbrat de caus. pl. VI 4, 6 ἔνια δὲ (sc. ζῷα) καὶ αὐτὰ ἑαυτοῖς εὑρίσκει τὰ πρόσφορα πρὸς τὴν τοιαύτην ἐπικουρίαν ὥσπερ καὶ οἱ ὄρνιθες ἤδη ...... ὡς γὰρ ἂν αἱ φύσεις ἔχωσι κατὰ τὰς κράσεις, οὕτως καὶ αἱ τροφαὶ καθ' ἕκαστον ἁρμόττουσιν. ὁμοίως δὲ καὶ αἱ ἡδοναὶ καὶ αἱ λῦπαι καὶ αἱ βοήθειαι πρὸς τὰ πάθη καὶ τὰς διαθέσεις, ὃ καὶ φανερὰ ποιοῦντα πολλὰ τῶν ζῴων ἐστίν, οὐ πρὸς τὰ συμβαίνοντα πάθη μόνον αὐτομάτως, ἀλλὰ καὶ κατ' αὐτὰς τὰς ἐδωδάς, ὅταν ἄλλο φάγωσιν ἕτερον ἐπεσθίοντα, καθάπερ οἱ ἔχεις τὸ πήγανον, ὅταν τὸ σκόρδον? — concedes iam puto hoc sextum libri noni caput excerptum esse ex Theophrasto.

In proximis quae persequuntur avium sollertiam victumque Theophrastea deprehendimus c. 9, 67 sqq. p. 614ª 34 sqq. coll. mir. ausc. c. 13. — cognoscimus hic quam saepe in libro περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους versatus sit Theophrastus in vita victuque animalium enarrandis. pendet enim vitae institutio ac domicilii electio et ab ἤθει, cf. Aristot h. a. VIII 1, 1 p. 588ª 17 αἱ δὲ πράξεις καὶ οἱ βίοι κατὰ τὰ ἤθη καὶ τὰς τροφὰς διαφέρουσιν, et a φρονήσει, cf. [Aristot.] h. a. IX 30, 108 p. 618ª 35 ἐν στεγνῷ δὲ ποιεῖται τὰς νεοττιὰς ὑπὸ πέτραις καὶ σπηλαίοις ὥστε καὶ τὰ θηρία καὶ τοὺς ἀνθρώπους διαφεύγειν. praeterea

[1] etsi hae duae narrationes verbis valde inter se differunt, res eadem est.

indoles quaedam potest incitare animalia ut homines fugiant aut quaerant. sollertia autem solet iis tribui, etiamsi non sua sponte et deliberatione quadam commota suo student commodo, sed quasi innata naturae lege. similem opinionem Theophrastus in libro περὶ τῶν λεγομένων φθονεῖν (cf. Phot. bybl. cod. 278 p. 528ᵇ 10 sqq. B.) furca expulit et quae invidiae dabant, naturaliter fieri monuit. idem interdum fecisse putandus est ubi vitae rationem avium tractavit, quamquam talium disputationum ne vestigium quidem excerptor reliquit rerum potissimum mirabilium cupidus[1]. — tum sollertiae exempla proferuntur c. 10, 70—71 p. 614ᵇ 18—30. haec ex Theophrasteo illo libro sumpta esse credes, si comparaveris § 70 p. 614ᵇ 20 καὶ ἐὰν ἴδωσι νέφη καὶ χειμέρια, καταπτᾶσαι ἡσυχάζουσιν cum fr. VI 38 W. καὶ ἐὰν ὑποστραφῶσι πετόμενοι (sc. γέρανοι) χειμῶνα σημαίνουσιν et ibid. 52 ὅταν γέρανοι πέτωνται καὶ μὴ ἀνακάμπτωσιν, εὐδίαν σημαίνει· οὐ γὰρ πέτονται πρὶν ἢ ἂν πετόμενοι καθαρὰ ἴδωσι. nam § 71 p. 614ᵇ 26 sqq. indidem petitam esse perspeximus iam ex mir. ausc. c. 14. rursus in Theophrastea incidimus c. 13, 81 p. 615ᵇ 22 ὅταν δ' ὑπολίπωσιν αἱ βάλανοι, ἀποκρύπτουσα ταμιεύεται (sc. ἡ κίττα): cf. d. caus. pl. II 17, 8 κατορύττει γὰρ ἡ κίττα θησαυριζομένη τὰς βαλάνους καὶ ἄλλα τῶν ὀρνέων. toto fere hoc capite 13 agitur de sollertia moribusque avium: plurima Theophrasto deberi eo fit veri etiam similius quod § 83 p. 616ᵃ 3 verbis ταὐτὸ δὲ τοῦτο ποιεῖ καὶ ὁ κόττυφος καὶ ἡ κίττα respicitur ad ea quae § 81 p. 615ᵇ 21 de hac ave narrantur. deinde c. 18, 93 p. 616ᵇ 33 legimus τῶν δ' ἐρῳδιῶν ὁ μὲν πέλλος . . . ὀχεύει μὲν χαλεπῶς[2], εὐμήχανος

[1] fortasse tale quid habemus c. 12, 76 p. 615ᵃ 24 ζῶσι δὲ περὶ θάλατταν καὶ ποταμοὺς καὶ λίμνας οἱ μὲν στεγανόποδες ἅπαντες· ἡ γὰρ φύσις αὐτὴ ζητεῖ τὸ πρόσφορον.

[2] haec res non minus recte observata est quam p. 617ᵃ 1 τὴν κοιλίαν ἀεὶ ὑγράν (sc. ἔχειν τὸν πέλλον); cf. Auberti et Wimmeri adn. ad h. l.; utrumque testantur proverbia et carmina popularia nostratium. hoc monendum est contra Dittmeyerum l. l. p. 69, cuius plurima argumenta ex rebus absurdis quas dicit petita nihili aestimanda sunt. caveamus ne quae absurda esse nobis videntur, fuisse etiam in scientiae primordiis putemus (cf. etiam quae Sundevallus *de Arist. anim. generibus* p. 11 sq. et Marxius *griech. Maerchen* etc. p. 135 exponunt). sed plurima quae ille adfert ne sunt quidem absurda. unum proferam (l. l. p. 71). eorum quae c. 8, 65 p. 614ᵃ 26 sqq. narrantur testis est Naumannus *de avibus Germaniae* VI

δὲ καὶ δειπνοφόρος κτλ. eandem opinionem sequitur Theophrastus, cum dicit fr. XII 29 W. (p. $X^b$ 14 Vs.) καὶ ὡς ἔνια δὴ βίᾳ ἢ παρὰ φύσιν, ὥσπερ ὁ ἐρῳδιὸς ὀχεύει καὶ τὸ ἡμερόβιον ζῇ. neque minus recte ad eum referes et quae extant c. 19, 95 p. $617^a$ 11 sqq. coll. mir. ausc. c. 15, et quae habemus c. 29, 105 sqq. p. $618^a$ 8 sqq. coll. mir. ausc. c. 3.

Itaque in his quoque quae sunt de avibus capitibus adhibitus est Theophrasti liber περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους. sed non potuit hinc omnia quae profert mutuari libri noni scriptor. nam saepius de animalium sollertia victu moribus plane nihil commemoratur. tot animalium descriptiones, tot res naturali historiae quam περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους commentationi aptiores inseruntur, ut nequeat cogitari solum Theophrastum horum capitum esse auctorem. planius igitur hoc loco perspicias compilatorem non raro cum Theophrasteis coniunxisse quae excerpsit ex naturali quadam historia[1], sine dubio eo consilio ut Aristotelis de animalibus opiniones vel suppleret vel corrigeret. etsi perdifficile est unoquoque loco diiudicare quae aliunde sint petita et quae possint adscribi Theophrasteo illi libro, cum etiam hunc interdum talia tetigisse constet. accuratius igitur hanc libri noni partem percenseamus necesse est.

Atque primum videamus de c. 9 p. $614^a$ 34 sqq., quo cum liceat conferre mir. ausc. c. 13. statim cognosces additamentum. an in mir. ausc. inest quicquam eorum quae legis § 68 p. $614^b$ 7—13? immo supersunt indicia quibus ad Theophrasti disputationem non pertinere hunc locum demonstratur. nam p. $614^b$ 10 ex alio conexu videntur sumpta esse verba νεοττεύει δ' ἐπὶ τῶν δένδρων, ὥσπερ εἴρηται, quia antea hoc non est dictum (cf. Dittmeyer l. l. p. 148). neque intellegimus cur p. $614^b$ 11 βόσκεται δὲ τούς τε μύρμηκας καὶ τοὺς σκώληκας τοὺς ἐκ τῶν δένδρων repetatur idem quod exponitur p. $614^a$ 35 sqq. — nihilominus ceterorum capitum quae consentiunt cum argumento libri Theophrastei, omnia iure huic tribues. quod cadit statim in c. 7 usque ad § 56 p. $613^a$ 17[2].

p. 555; verbo οἱ θηρεύοντες non significantur aves, sed venatores qui laqueos disponunt; adsunt nimirum etiam adlectores de quibus antea dictum.

[1] cf. p. 25.

[2] quae leguntur § 53 p. $612^b$ 34 ἔτι δὲ περὶ τὴν ὠδῖνα δεινὴ ἡ τοῦ ἄρρενος θεραπεία καὶ συναγανάκτησις etiam Eudemo innotuerunt, cf. Eudem. Eth. p. $1240^a$ 33 ἔτι τὸ ἀλγοῦντι συναλγεῖν μὴ δι' ἕτερόν τι

quae sequuntur quin aliena sint a libro περὶ Ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους, vix potest dubitari. rursus Theophrastea sunt quae c. 8 p. $613^b$ 6—$614^a$ 28 de perdicum nido et victu, sollertia ac moribus narrantur. neque non ad eum redire plurima quae insunt in c. 9 et totum c. 10 iam statuimus. tum initio c. 11 sequentis disputationis novum indicatur propositum § 72 p. $614^b$ 31 sqq. τῶν δ' ἀγρίων ὀρνέων αἵ τε οἰκήσεις μεμηχάνηνται πρὸς τοὺς βίους καὶ τὰς σωτηρίας τῶν τέκνων. εἰσὶ δ' οἱ μὲν εὔτεκνοι αὐτῶν καὶ ἐπιμελεῖς τῶν τέκνων, οἱ δὲ τοὐναντίον, καὶ οἱ μὲν εὐμήχανοι πρὸς τὸν βίον, οἱ δ' ἀμηχανώτεροι. itaque narratur quam bene, ut pullos suos servent, eligant aves nidorum sedes. et idem semper quod praemissum est teneri propositum videas ex § 72 p. $614^b$ 35, § 73 p. $615^a$ 3, § 74 p. $615^a$ 8 [1], § 75 p. $615^a$ 15, c. 12, 76 p. $615^a$ 20 et 24. immiscentur quaedam de moribus singularum avium eaque apta ad illustrandam alteram propositi partem. haec omnia bene quadrare ad argumentum libri Theophrastei non est quod moneam [2]. aliter se habent duae illae observationes quae extant § 72 p. $615^a$ 1—3 et § 73 p. $615^a$ 4—8: de harum origine dubites. potest sane fieri ut ipse Theophrastus hic paullulum aberraverit a proposito. certo ei abiudicandus est finis c. 12, 79 sqq. p. $615^b$ 5 sqq. — iam c. 13 Theophrasto deberi antea dixi. neque obstat quod ille hist. pl. IX 5, 1—2 non commemorat avem illam quae cinnami surculis nidificat, neque rationem qua nidis et cinnamo potiuntur indigenae. sequitur enim ex verbis § 84 p. $616^a$ 7 τὸ καλούμενον κιννάμωμον φέρειν π ο θ ὲ ν τοῦτο τὸ ὄρνεον avem illam non in eadem regione versari, in qua gignitur cinnamum [3]. etiam in c. 14 quae dicuntur de alcedinis nido bene congruunt cum argumento περὶ Ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους. accedit aliud memo-

---

ἀγαπᾶν θήσομεν, οἷον οἱ δοῦλοι πρὸς τοὺς δεσπότας, ὅτι χαλεποὶ ἀλγοῦντες, ἀλλ' οὐ δι' αὐτούς, ὥσπερ αἱ μητέρες τοῖς τέκνοις καὶ οἱ συνωδίνοντες ὄρνιθες.

[1] hic locus nimirum non est excerptus ex Aristotelis h. a. VI 5, 35 p. $563^a$ 5 sqq., ut voluit Dittmeyer l. l. p 26 sq. recte iudicaverunt Aubertus et Wimmer ad locum libri VI vol. II p. 23.

[2] cf. p. 29 sq. nimis angustis finibus coercuerunt sollertiae notionem Aubertus et Wimmer in adn. ad § 72 vol. II p. 238.

[3] idem apparet ex Herod. III 111, quem non adhibuit libri noni auctor, ut voluerunt Aubertus et Wimmer vol. II p. 244. Plin. n. h. XII 85 utramque narrationem coniungit.

ratu non indignum. describitur ille nidus § 86 p. 616ª 19 sic: ἡ δὲ νεοττιὰ παρομοία ταῖϲ ϲφαίραιϲ ταῖϲ θαλαττίαιϲ ἐϲτὶ καὶ ταῖϲ καλουμέναιϲ ἁλοϲάχναιϲ πλὴν τοῦ χρώματοϲ κτλ. maris vero illud quod vocatur ἁλοϲάχνη opus ignotum est Aristoteli: primam eius notitiam invenimus apud Theophr. fr. IV 35 W. τὸ δὲ ῥόδινον τοῖϲ ὠϲὶν ἀγαθόν, ὅτι ἐν ἁλϲὶν ἡ ποίηϲιϲ· ἀναξηραίνει γὰρ καὶ ἐκθερμαίνει διὰ τοὺϲ ἅλαϲ· διὸ καὶ ἡ ἁλοϲάχνη ἀγαθόν. valde autem dubites num Theophrasto addicas ipsius avis descriptionem quam legis § 85 p. 616ª 14—18. eius rostrum falso nominatur tenue[1], eius color in tergo certe non est tam mixtus ac varius. hoc ultimum iam innotuit Aristoteli qui de duobus alcedinis generibus dicit h. a. VIII 3, 47 p. 593ᵇ 11 τὸν δὲ νῶτον ἀμφότεραι κυανοῦν ἔχουϲιν. idem legimus ubi describitur merops in nono libro c. 13, 82 p. 615ᵇ 28 ἡ δ' ἰδέα τοῦ ὄρνιθοϲ τῶν πτερῶν ἐϲτι τὰ μὲν ὑποκάτω ὠχρόν, τὰ δὲ ἐπάνω ὥϲπερ τῆϲ ἀλκυόνοϲ κυάνεον κτλ. hanc igitur rectam capitis 13 descriptionem iure adscribes Theophrasto, falsam illam capitis 14 aliunde adiecit compilator.

In proximis vero capitibus crescit numerus additamentorum. plurima minime spectant ad propositum § 72 p. 614ᵇ 31 sqq. indicatum, sed maxima ex parte describuntur aves non nullae atque in genera distribuuntur, ita ut manifestum sit hic plerumque adhibitam esse naturalem illam historiam. reditur ad propositum demum c. 29, 105 p. 618ª 8 ὁ δὲ κόκκυξ ... οὐ ποιεῖ νεοττιάν κτλ. at tamen usque ad c. 19, 95 p. 617ª 18 interdum intersperguntur etiam Theophrastea. quadrant enim ad eius librum quae inveniuntur c. 15, 88 p. 616ª 35, ᵇ7, § 89 p. 616ᵇ 9—12, et fere omnia quae extant in c. 17 p. 616ᵇ 19 sqq. sed vide quam male haec ex alio conexu sint arrepta: c. 15, 88 p. 616ᵇ 7 νεοττεύει δὲ καὶ οὗτοϲ ἐν τοῖϲ δένδρεϲι et c. 17, 92 p. 616ᵇ 26 καὶ οἰκεῖ καὶ οὗτοϲ πέτραϲ καὶ ϲπήλυγγαϲ legitur, quamquam antea aliae aves quae idem faciunt non sunt commemoratae[2]. praeterea veri similiter ad Theophrastum referri c. 18, 93 p. 616ᵇ 33 verba ὁ πέλλοϲ ... ὀχεύει μὲν χαλεπῶϲ, εὐμήχανοϲ δὲ καὶ δειπνοφόροϲ καὶ ἔπαγροϲ, ἐργάζεται δὲ τὴν ἡμέραν iam vidimus[3]. neque locum aliquem obti-

[1] cf. Aubertus et Wimmer ad h. l. vol. II p. 245.

[2] cf. Dittmeyer l. l. p. 149.

[3] cf. p. 30 sq.

nuisse in eius libro quae leguntur c. 19, 95 p. 617ª 13 ἔστι δ' οὗτος (sc. ὁ λευκὸς κόττυφος) ἐν Κυλλήνῃ τῆς Ἀρκαδίας, ἄλλοθι δ' οὐδαμοῦ et quae his adduntur in mir. ausc. c. 15, potest negari.

Iam inde a capite 20 p. 617ª 18 omnia alienissima sunt a Theophrasteo illo libro et hausta ex naturali illa historia. quod ut extra omnem dubitationem ponatur, in promptu sunt etiam alia indicia. primum enim legimus c. 15, 89 p. 616ᵇ 11 χλωρίων δὲ μαθεῖν μὲν ἀγαθὸς καὶ βιομήχανος, κακοπετὴς δὲ καὶ χρόαν ἔχει μοχθηράν. haec si Theophrasto debentur, nequeunt ex eo sumpta esse quae extant c. 22, 98 p. 617ª 28, ubi alia proferuntur de eadem ave ac rursus tangitur eius color. scilicet eodem loco utrumque invenisset excerptor, si secutus esset eundem auctorem. deinde c. 25, 101 p. 617ᵇ 19 alauda nominatur κορύδαλος[1], cum et apud Aristotelem et in ceteris noni libri partibus dicatur κόρυδος praeter c. 49ᵇ, 260 p. 633ᵇ 1, ubi legitur κορύδαλος, et c. 1, 10 p. 609ª 7, ubi invenitur forma κορυδών. quoniam autem easdem semper aves significari certum est[2], vix potuit idem scriptor duo nomina indere alaudae[3].

Ad Theophrastum revertimur c. 29 p. 618ª 8 sqq.[4]. atque eiusdem narratio prodit in capitibus 30 et 31 p. 618ª 31 sqq. sed tum viam rursus obstruunt difficultates. nam de aquilarum generibus disputatio c. 32, 111—116 p. 618ᵇ 18—619ª 14 tanta est, ut nequeat cogitari in Theophrasti librum eam esse insertam[5]. quod dissuadere videtur etiam hoc: dicitur de γνησίῳ ἀετῷ § 116 p. 619ª 13 φαίνεται δ' ὀλιγάκις, ὥσπερ ἡ καλουμένη

---

[1] cf. Lobeckius Phryn. p. 338 sq.

[2] cf. Aubertus et Wimmer vol. I p. 98.

[3] sic argumentatur etiam Dittmeyer l. l. p. 153.

[4] hoc caput non potuit componi ex locis Aristotelis h. a. VI 7, 43 p. 563ᵇ 29 sqq. et de gen. anim. III 1, 8 p. 750ª 11 sqq., ut voluit Dittmeyer l. l. p. 27 sq. Aristoteles enim plane dissentit a nono libro, cum dicit l. l. p. 563ᵇ 30 ἐνίοτε μὲν ἐν τῇ τῶν ἐλαττόνων ὀρνίθων ἐντίκτει καταφαγὼν τὰ ᾠὰ τὰ ἐκείνων. animadvertit hoc Beckmannus ad mir. ausc. c. 3 (p. 16).

[5] § 116 p. 619ª 12 legis: ἔστι δ' οὗτος (sc. ὁ γνήσιος ἀετός) μέγιστος τῶν ἀετῶν ἁπάντων μείζων τε τῆς φήνης. cur adiciatur sententia μείζων τε τῆς φήνης, per se nulla adest causa. quid vero si hic propriis verbis refellitur Aristotelis opinio qui dicit h. a VIII 3, 39 p. 592ᵇ 5 ἔστι δ' ἡ μὲν φήνη τὸ μέγεθος ἀετοῦ μείζων? repugnantiae quas ex hac parte adfert Dittmeyer l. l. p. 77 culpa excerptoris oriri potuerunt.

κύμινδις; de hac autem ave sermo fiebat c. 12, 79 p. 615ᵇ 5, quem locum Theophrasto abiudicavimus [1]. atque alium auctorem hic adhibuit noni libri scriptor, alium in c. 34. de haliaetis enim narrantur quaedam et c. 32, 115 p. 619ᵃ 3 sqq. et c. 34, 125 sq. p. 620ᵃ 1 sqq.: utroque loco commemoratur, quam incolant regionem, p. 619ᵃ 6 οἰκοῦσι δὲ περὶ θάλατταν καὶ ἀκτάς et p. 620ᵃ 5 διατρίβει δὲ περὶ θάλατταν. verum ne ea quidem quae de sollertia et moribus aquilarum proferuntur in ultima parte c. 32 inde a p. 619ᵃ 14 ex eodem auctore deprompta sunt atque c. 34. immo partim contraria traduntur: hic § 118 p. 619ᵃ 27 τρέφουσι δὲ τοὺς νεοττούς, ἕως ἂν δυνατοὶ γένωνται πέτεσθαι· τότε δ' ἐκ τῆς νεοττιᾶς αὐτοὺς ἐκβάλλουσι κτλ., illic § 123 p. 619ᵇ 26 ἐκβάλλει γὰρ ὁ ἀετὸς πρὸ ὥρας ἔτι βίου δεόμενα καὶ οὔπω δυνάμενα πέτεσθαι. ἐκβάλλειν δὲ δοκεῖ ὁ ἀετὸς τοὺς νεοττοὺς διὰ φθόνον κτλ. [2] in altera utra parte servari Theophrasti narrationes probabile est; in utra lateant, nequit diiudicari, nisi ex illis morum significationibus p. 619ᵇ 23 εὔτεκνος εὐβίοτος δειπνοφόρος, quas in Theophrasteo conexu alibi invenimus, concludas c. 34 ex hoc esse sumptum. etiam capita 33, 35, 36 unde originem ducant, plane in dubio relinquendum est. hoc quidem apparet c. 36 de accipitribus expositionem non deberi eidem auctori atque c. 11, 73 p. 615ᵃ 3 sqq. nam tum coniuncta haec legisset excerptor neque cur non continua esset tota de accipitribus disputatio intellegeretur. tamen nihil lucramur hac observatione, cum capitis 11 quoque locus unde sit petitus nesciamus. hoc unum, quod non est parvi momenti, licet hic statuere: libri noni scriptorem praeter Theophrastum etiam alium de animalium sollertia et moribus auctorem in usum suum vocasse.

Sequuntur in nono libro exempla quae docent sollertiam animalium aquatilium. etiam in his sunt quae demonstrent adhibitum esse Theophrastum. etenim quae narrantur c. 37, 134 p. 620ᵇ 19 ἥ τε νάρκη ναρκᾶν ποιοῦσα ὧν ἂν κρατήσειν μέλλῃ ἰχθύων . . τρέφεται τούτοις non novit Aristoteles, qui numquam commemorat miram huius piscis vim. Theophrastus vero secun-

---

[1] cf. p. 32.

[2] hic locus propius videtur accedere ad ipsum Aristotelem h. a. VI 6, 37 p. 563ᵃ 21 ἐκβάλλει δ' αὐξανομένων τὸν ἕτερον τῶν νεοττῶν ἀχθόμενος τῇ ἐδωδῇ . . . . . τὸν δ' ἐκβληθέντα δέχεται καὶ ἐκτρέφει ἡ φήνη.

dum Athen. VII p. 314[c] in libro περὶ δακέτων καὶ βλητικῶν dixit διαπέμπεσθαι ... τὴν νάρκην τὴν ἀφ' αὑτῆς δύναμιν καὶ διὰ τῶν ξύλων καὶ διὰ τῶν τριοδόντων ποιοῦσαν ναρκᾶν τοὺς ἐν χεροῖν ἔχοντας (cf. Roseus p. 347); quo cum loco cf. quoque h. a. IX 37, 134 p. 620[b] 28 ἡ δὲ νάρκη φανερά ἐστι καὶ τοὺς ἀνθρώπους ποιοῦσα ναρκᾶν. iam de polypo legitur § 149 p. 622[a] 8 καὶ θηρεύει τοὺς ἰχθῦς τὸ χρῶμα μεταβάλλων καὶ ποιῶν ὅμοιον, οἷς ἂν πλησιάζῃ λίθοις. τὸ δὲ αὐτὸ τοῦτο ποιεῖ καὶ φοβηθείς. hanc polypi mutationem exposuerat Theophrastus in libro περὶ τῶν μεταβαλλόντων τὰς χρόας (cf. Roseus p. 362 sqq.). ibi ut videtur in primis posuit mutationis causam esse metum, hic id ipsum prodit librum περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους, quod priorem locum tenet animalis sollertia ex qua utitur mutatione ad praedam faciendam; quamquam ne ibi quidem prorsus omissam esse huius sollertiae mentionem ostendit Plutarch. de soll. anim. c. 27 p. 978[f] μεταβάλλει γὰρ ἐκ προνοίας μηχανῇ χρώμενος τοῦ λανθάνειν ἃ δέδιε καὶ λαμβάνειν οἷς τρέφεται (cf. Roseus p. 365, 5). postremo polypum in siccum exire, quod traditur § 152 p. 622[a] 31, Theophrastus etiam in libro περὶ τῶν ἐν ξηρῷ διαμενόντων tetigerat (cf. fr. 171, 3 et 4 W.).

Itaque nullus dubito quin totum c. 37 excerptum sit ex Theophrasteo libro. namque qui minus quadrant ad eius argumentum loci § 145—146 p. 621[b] 19—28 et 150—151 p. 622[a] 14—31 partim cohaerent cum cetera narratione (cf. maxime § 143 p. 621[b] 12 ἐκ δὲ τοῦ εὐρίπου τοῦ ἐν Πύρρᾳ κτλ. et § 145 p. 621[b] 22 περὶ δὲ τὴν Λέσβον ... ἐν τῷ εὐρίπῳ) et sunt adeo pauci, ut vix credam in his adhibitum esse alterum auctorem. et est quod commendet hanc opinionem. § 147 p. 621[b] 28 τῶν δὲ μαλακίων πανουργότατον μὲν ἡ σηπία καὶ μόνη[1] χρῆται τῷ θόλῳ κρύψεως χάριν καὶ οὐ μόνον φοβουμένη manifesto impugnatur Aristotelis sententia qui dicit h. a. IV 1, 11 p. 524[b] 14 σπλάγχνον δ' οὐδὲν ἔχει τῶν μαλακίων, ἀλλ' ἣν καλοῦσι μύτιν καὶ ἐπὶ ταύτῃ θολόν. τοῦτον δὲ πλεῖστον αὐτῶν καὶ μέγιστον ἡ σηπία ἔχει· ἀφίησι μὲν οὖν ἅπαντα, ὅταν φοβηθῇ, μάλιστα δ' ἡ σηπία[2]. est autem Theophrasti sic corrigere quae docuerat

[1] ex coniectura Auberti et Wimmeri: codd. μόνῳ et μόνον.

[2] hoc iam vidit Dittmeyer l. l. p. 20 sq. qui etiam alios Aristotelis locos attulit. adde de part. anim. II 4, 2 p. 650[b] 28.

magister: certum adest eiusdem modi exemplum d. caus. pl. III 12, 2 ὥςπερ γὰρ εἴρηται πολλάκις οὐκ ἀπὸ τῆς γῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τοῦ ἡλίου καὶ ἀπὸ τοῦ ἀέρος ἡ τροφή, quae verba spectant ad Arist. de gen. et interit. II 8 p. $335^a$ 11 sqq.[1]

Verum silentio pressi huc usque quod omnino nos vetare videatur ad Theophrastum huius capitis originem referre. cum enim hic affirmetur perdices edere cochleas § 135 p. $621^a$ 1 ὅπου ἂν ᾖ κοχλίας, σῦς οὐκ ἔστιν οὐδὲ πέρδιξ. κατεσθίουσι γὰρ πάντας[2] τοὺς κοχλίας, Theophrastus hoc videtur negare, si proprium id esse perdicibus Sciathi insulae dicit. Athen. enim IX p. $390^c$ postquam fragm. libri περὶ τῶν κατὰ τόπους διαφορῶν Theophrasto nominato adposuit, pergit: οἱ δὲ ἐν Σκιάθῳ τῇ νήσῳ (sc. πέρδικες) κοχλίας ἐσθίουσι, quae verba quis non ad eundem referet Theophrasti librum. at incredibilia tradit Athenaeus nec dubito quin ipse aut quem expilat peccaverit negatione neglecta. nam cum perdix frequens sit per totam Graeciam avis eaque ubique, ut benevole mecum communicavit Bolau vivario Hamburgensi praefectus, cochleis vescatur[3], insolitum illud de Sciathi insulae perdicibus ferri non potuit, cochleis perdices illos vesci, sed non vesci.

Hanc libri noni partem excipiunt de animalibus disputationes quorum sollertia adeo est in propatulo, ut nemo qui scripsit περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους eos potuerit neglegere. formicas dico et araneas et apes quarum industria et prudentia ab omnis generis scriptoribus decantatur. qua re si recte statui magnam partem noni libri ex Theophrasteo illo libro depromptam esse, quae in eo de horum animalium sollertia leguntur, Theophrasto non defuisse meo iure contendam. atque coniuncta haec genera iam auctorem quem sequitur noni libri scriptor tractavisse apparet ex primis verbis c. 38, 155 p. $622^b$ 19 sqq. nec non ex c. 40, 165 p. $623^b$ 13 sqq.

Theophrastum autem re vera in illis saltem de araneis capitibus teneri una ostendit sententiola c. 39, 162 p. $623^a$ 30 δύνανται δ' ἀφιέναι οἱ ἀράχναι τὸ ἀράχνιον εὐθὺς γενόμενοι, οὐκ ἔσωθεν ὡς ὂν περίττωμα, καθάπερ φησὶ Δημόκριτος, ἀλλ'

---

[1] vide Kirchnerum l. l. p. 518 sqq.

[2] Bekker coniecit: ἄμφω; codd. πάντες; rec. m. Aa πάντας, quod recepit Schneider.

[3] cf. etiam Naumannus *de avib. Germaniae* VI p. 569.

ἀπὸ τοῦ cώματοc οἷον φλοιόν, ἢ τὰ βάλλοντα[1] ταῖc θριξὶν οἷον ὕcτριχεc. hystrices enim aculeis uti tamquam telis, cuius rei Aristoteles nusquam facit mentionem, Theophrastus narrat apud Plin. n. h. VIII 125, quem locum rectissime ei addixit Roseus p. 369: nam praecedunt Theophrastea § 123—124 de tarandri mutatione et sequitur § 126 sqq. eiusdem de ursis expositio. praeterea quis non videt quam deceat doctum de physicorum opinionibus scriptorem et maxime in Democrito legendo assiduum hic adferre illius placitum? nempe eidem etiam Aristophanes Byzantius p. 23, 14 L. debet Diogenis Apolloniatae nomen[2].

Non tam simplex res est in amplo illo et pretioso de apibus capite. hic quoque Theophrastum consuluit scriptor eoque minus hoc mirum est quod is qui proprium περὶ μελίτων condidit librum multum operae ac laboris consumpsisse in his animalibus observandis putandus est. sunt autem Theophrastea quae narrantur c. 40, 191 p. 626ᵃ 26 sqq. δυcχεραίνουcι δὲ ..... ταῖc δυcώδεcιν ὀcμαῖc καὶ ταῖc τῶν μύρων. διὸ καὶ τοὺc χρωμένουc αὐτοῖc τύπτουcιν, ut apparet inspicienti de caus. pl. VI 5, 1 πολεμοῦcι δὲ δὴ cφόδρα καὶ αἱ μέλιτται τοῖc μεμυριcμένοιc et fragm. περὶ μελίτων in [Aristot.] mir. ausc. c. 21 τὰc μελίτταc λέγουcιν ὑπὸ μύρου καροῦcθαι καὶ οὐκ ἀνέχεcθαι τὴν ὀcμήν· ἔνιοι δὲ λέγουcι μάλιcτα τοὺc μεμυριcμένουc τύπτειν. deinde Theophrastum agnosces, si § 205 p. 627ᵇ 10 προγινώcκουcι δὲ καὶ χειμῶνα καὶ ὕδωρ αἱ μέλιτται· cημεῖον δέ· οὐκ ἀποπέτονται γάρ, ἀλλ' ἐν τῇ εὐδίᾳ αὐτοῦ ἀνειλοῦνται, ᾧ γινώcκουcιν οἱ μελιττουργοί, ὅτι χειμῶνα προcδέχονται comparaveris cum fr. VI 46 W. ὅταν μέλιτται μὴ ἀποπέτωνται μακράν, ἀλλ' ἐπ' αὐτοῦ τοῦ cμήνουc ἐν τῇ εὐδίᾳ πέτωνται, χειμῶνα ἐcόμενον cημαίνει. non tam certa res est alio loco. extat enim § 197 p. 626ᵇ 20 νομὴ δὲ ταῖc μελίτταιc τὸ θύμον. ἄμεινον δὲ τὸ λευκὸν τοῦ ἐρυθροῦ et apud Theophrastum legimus h. pl. VI 2, 3 καὶ θύμον τὸ μὲν λευκόν, τὸ δὲ μέλαν, εὐανθὲc δὲ cφόδρα· περὶ τροπὰc γὰρ ἀνθεῖ θερινάc· ἀφ' οὗ καὶ ἡ μέλιττα λαμβάνει τὸ μέλι καὶ τούτῳ φαcὶν οἱ μελιττουργοὶ δῆλον εἶναι, πότερον εὐμελιτοῦcιν ἢ οὔ· καλῶc γὰρ ἀπανθήcαντοc εὐμελιτεῖν. sententiam uterque locus praebet eandem, sed Theophrastum vix fuisse auctorem

---

[1] corr. Vsener; codd. εἶτα βάλλονται et μεταβάλλονται.

[2] cf. Roseus *anecd. gr. et graecolat.* II p. 32 adn.; Dielsius *doxogr.* p. 191.

in nono libro adhibitum inde conicias, quod ille distinguit albos flores et nigros, noni libri scriptor albos et rubros[1]. Theophrastus certe iisdem semper usus esset significationibus. quisquis autem est huius loci auctor vixit post Aristotelem: nam hic plane ignorat de illa in primis planta mel colligere apes[2].

Itaque iam videmus totum caput 40 non esse excerptum ex Theophrasto. obstat etiam eius natura atque indoles. an credibile est Eresium in libro περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους tam confuse, tam non dilucide de apibus disseruisse, ut saepissime lector prorsus obliviscatur praecipue de sollertia et moribus earum eum voluisse loqui? immo excerptoris culpa hoc accidit qui frusta ex diversis auctoribus petita conglutinavit. quod iam a Dittmeyero l. l. p. 22 et 146 perspectum et est in aperto.

Sed ut accuratius cognoscatur huius capitis compositio, subtili opus esse argumenti et ordinis interpretatione Vsener me docuit neque non quantum ad hoc negotium ex sermone liceret petere auxilium. atque primum certum est Theophrasti disputationem incipere § 165 p. 623ᵇ 13. primae enim huius loci sententiae nequeunt intellegi nisi arte coniunctae cum antecedentibus capitibus, quae Theophrasto debentur, neque ullo vinculo cohaerent cum initio c. 40. hoc igitur ex alio auctore sumptum est[3]. et re vera Theophrastea esse quae legimus inde a p. 623ᵇ 13 statim confirmatur verbis § 165 p. 623ᵇ 20 θυμιώμεναι γὰρ καὶ σφόδρα πονοῦσαι ὑπὸ τοῦ καπνοῦ τότε μάλιστα τὸ μέλι ἐσθίουσιν. nam causam cur fumo patiantur apes in universum dictam § 191 p. 626ᵃ 26 δυσχεραίνουσι δ', ὥσπερ εἴρηται, ταῖς δυσώδεσιν ὀσμαῖς καὶ ταῖς τῶν μύρων κτλ. adscripsimus Theophrasto. quo accedit quod ipse compilator verbis ὥσπερ εἴρηται nos relegat ad priorem illum locum. denique omnia quae sequuntur usque ad § 169 p. 624ᵃ 18 optime conveniunt cum argumento libri περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους: post illum transitum p. 623ᵇ 13—18 brevi exponitur, quid apes laborent atque condant et qua re id faciant; tum inde

[1] tamen possunt intellegi iidem flores: nominantur ab altero nigri ab altero rubri, quia sunt purpurei.

[2] h. a. V 22, 118 p. 554ᵃ 10 falso mutavit Pikkolus ἀπὸ τοῦ θύμου: traditur χυμοῦ.

[3] de § 164 p. 623ᵇ 8 sqq. unice verum dixerunt Aubertus et Wimmer vol. II p. 281 sq.

a p. 623^b 25 dilucide describitur favorum aedificatio. iam p. 624^a 18 omnis cum antecedentibus conexus subito dirimitur. an scis quid hic sibi velint illae quae sequuntur de fucis et regibus observationes? ex altero illo auctore pessime huc sunt insertae. cuius rei indicio est quod § 170 p. 624^a 18 sqq. profertur de fucis quaedam opinio quae pugnat cum § 167 p. 624^a 2 sqq., quae certe a bono scriptore ibi erat commemoranda. praeterea nullo alio loco c. 40 nisi hic § 171 p. 624^a 28 et 31 pro verbo ἑσμός usurpatur ἀφεσμός[1]. — deinde § 172 p. 624^a 33 compilatorem redire ad Theophrastum veri est simile. optime enim post favorum aedificationem narratur, quo modo ad hanc rem materiam sibi comparent apes, i. e. quo modo ceram colligant. pertinet haec expositio usque ad § 173 p. 624^b 11. hic vero filum disputationis rursus plane abscindi patet: verba μετὰ δὲ τοῦτο νεοττεύουσιν quo referas non habes. scilicet post favorum extructionem apes incubant, sed antea dictum est de alia re. magni momenti sunt verba § 174 p. 624^b 18 sqq. ἀναπλάττουσι δὲ ὁτὲ μὲν καὶ αὐτὰ καθ' αὐτὰ τὰ κηρία τὰ τῶν κηφήνων, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ δ' ἐν τοῖς τῶν μελιττῶν, quibus confirmatur alium hic adhiberi auctorem atque § 167 p. 624^a 2 sqq. verum etiam ab illo qui excerptus est § 170 p. 624^a 18 diversus est quo hic utitur compilator. quae sequuntur § 175 p. 624^b 20—27 expressa sunt ex Aristot. h. a. V 21, 112 p. 553^a 25 sqq. et 22, 114 p. 553^b 7 sqq.[2] tum favos quoque bonarum et longarum apium inter se differre ostenditur. atque omnia bene fluunt usque ad § 177 p. 625^a 5, ubi continua oratio acerbe interrumpitur. sed possumus recuperare pristinum sententiarum conexum. quid enim quod sententia § 177 p. 625^a 3 sqq. γίνονται δ' ἐξ αὐτῶν οἵ τε πονηροὶ ἡγεμόνες καὶ κηφῆνες πολλοὶ καὶ οἱ φῶρες καλούμενοι, μέλι δ' ἢ πάνυ βραχὺ ἢ οὐδέν rectissime continuatur § 179 p. 625^a 14 verbis τοῦ δὲ φωρὸς καὶ κηφῆνος γενομένων οὐδέν ἐστιν ἔργον κτλ.? quae sunt interposita non dubito tribuere Theophrasto. nam bene consentit cum iis quae antea ab eo tractata esse vidimus, si nunc disserit de sollerti illa ratione qua extructos favos con-

---

[1] aliud est ἄφεσις p. 625^a 20, 625^b 7. 8. 17. verbum ἀφεσμός illis locis non traditur in codicibus A^a et C^a, sed quae hi praebent verba non intelleguntur.

[2] cf. Dittmeyer l. l. p. 66.

servant apes. — idem igitur auctor inde a § 179 p. $625^a$ 14 rursus expilatur cui debentur omnia quae extant § 173—177 p. $624^b$ 11—$625^a$ 5. quod certius redditur eo quod Aristotelea illa apium partitio hic quoque in usu est, cf. p. $625^a$ 16, 27, 32. accedit novi aliquid, quod est admodum memorabile. auctor enim hic adhibitus scripsit θνήσκουσιν (p. $625^a$ 16)[1], quae forma abhorret a pedestri Atticorum sermone. idem usurpavit etiam praesens tempus κτείνουσι (p. $625^a$ 16, 19, 32), quod quidem iam Xenopho Plato Aristoteles mutuati sunt e poetarum consuetudine. pertinet haec capitis pars usque ad § 182 p. $625^a$ 34. nam frustulum illud quod legitur § 183 p. $625^a$ 34—$^b$ 6, quamquam hic quoque p. $625^b$ 2 extat θνήσκουσιν, vix ex eodem atque antecedentia fluxit auctore, quia idem alio modo narratur quod iam est expositum § 179 p. $625^a$ 14 sqq. — tum quae inveniuntur § 184 p. $625^b$ 6—17 ex longiore de examinibus disputatione esse relicta manifesto indicant verba p. $625^b$ 16 τὰ μὲν οὖν περὶ τὴν ἀπόλειψιν καὶ ἄφεσιν τοῦτον συμβαίνει γίνεσθαι τὸν τρόπον. de auctore huius paragraphi nihil constat: potest esse Theophrastus. quem teneri in sequentibus veri est simillimum. certe verba § 185 p. $625^b$ 17 sq. εἰσὶ δ' αὐταῖς τεταγμέναι ἐφ' ἕκαστον τῶν ἔργων κτλ. cum iis quae proxime antecedunt non cohaerent: de ipsis apibus rursus agitur, id quod non indicatur nisi pronomine illo. de apibus autem desiit loqui compilator § 179 p. $625^a$ 14, ita ut haec bene continuent ea quae illic de iis excerpta sunt ex Theophrasto. atque operum illa divisio, laboris initium, fetus cura nonne haec omnia produnt sollertiam atque mores animalis? iam § 187 p. $625^b$ 32 excerptor iterum se convertit ad illum auctorem qui eodem modo atque Aristoteles distinxit apium genera, cf. p. $625^b$ 33 αἱ μὲν χρησταὶ μέλιτται. atque hunc videtur sequi usque ad § 189 p. $626^a$ 13: testis est usus verbi θνήσκειν p. $626^a$ 4, testis quod deest omnis sollertiae aut morum descriptio. praeterea ex § 188 p. $626^a$ 5 apparet alium hic vocari in usum auctorem atque § 166 p. $623^b$ 23, i. e. non Theophrastum. vide in primis nominum illam diffe-

[1] p. $625^a$ 33 irrepsit ἀποθάνῃ. apud Aristot. h. a. III 12, 79 p. $519^a$ 29 Bekker edidit ἀλλὰ θνήσκει, sed praeferenda est lectio codd. $PD^a$ ἀλλ' ἔκτοτε ἀποθνήσκει, quam in textum recepere Aubertus et Wimmer. unus quod sciam Plato bis (Phaed. p. $72^d$ et legg. XII p. $946^e$) e poetarum sermone petiit praesens tempus θνήσκειν.

rentiam: eadem res hic appellatur cανδαράκη, illic κήρινθοc. eiusdem auctoris vestigia deprehendis § 192 p. 626$^{a}$ 28—$^{b}$ 1. excipitur enim hoc loco ea de variis illis quae apibus imminent periculis disputatio, quam § 189 p. 626$^{a}$ 13 deseruit scriptor. atque re vera ex eodem fonte haustas esse illas partes documento est usus verbi κτείνειν p. 626$^{b}$ 1. — ea autem quae dirimunt has partes § 190—191 p. 626$^{a}$ 13—28 alius auctoris et ingenium et sermonem aperte ostendunt. an potuit idem auctor hic p. 626$^{a}$ 14 scribere ἡ δὲ μάχη αὐτῶν ἐcτὶ καὶ πρὸc αὐτάc, quod accuratius iam tractaverat alio loco p. 625$^{a}$ 27 πολεμοῦcι δὲ cφόδρα αἱ μικραὶ τῷ γένει τῷ μακρῷ κτλ.? neque p. 626$^{a}$ 23 non repetitur idem quod iam dictum erat p. 625$^{a}$ 33. etiam sermone hoc probatur: ubique habes ἀποθνήcκειν (p. 626$^{a}$ 21, 22, 23) et ἀποκτείνειν p. 626$^{a}$ 17, ita ut unum illud κτείνειν p. 626$^{a}$ 21 nihil sis moraturus. neque quis sit huius partis auctor dubium esse potest: vidimus iam eorum quae extant p. 626$^{a}$ 26—28 auctorem esse Theophrastum atque omnia optime quadrant ad huius librum. — iam de § 193 p. 626$^{b}$ 1—6 certi quicquam proferre nequeo. valde dubito num hic idem adhibitus sit auctor atque p. 625$^{a}$ 1 sqq., ad quem locum ipse compilator respicit. nam tum eodem loco coniuncta haec invenisset excerptor. huius igitur sunt verba τὸ δὲ γένοc τὸ τῶν μελιττῶν ὃ εἴρηται ὅτι πονηρόν τε καὶ τραχέα τὰ κηρία ἐργάζεται. cogitari potest Theophrastum huic apiariorum quorundam opinioni opposuisse suam quam legimus § 194 p. 626$^{b}$ 8—10: ei enim deberi § 194—195 p. 626$^{b}$ 8—15 ut statuamus, et argumentum suadet et sermo (cf. v. ἀποκτείνειν p. 626$^{b}$ 10 et 14). sed utut haec res se habet, certe admodum molesta est sententia p. 626$^{b}$ 6 ὅταν δ' ὑπολίπῃ τὸ μέλι, τοὺc κηφῆναc ἐκβάλλουcι καὶ παραβάλλουcι cῦκα καὶ τὰ γλυκέα αὐταῖc, quae turbat omnem huius loci qui cogitari possit conexum. ipsa quae prae se ferat alius conexus vestigia patet: subiectum enim nequeunt esse apes, sed apiarii, quamquam de solis apibus et antea et postea dicitur. — postquam autem § 195 p. 626$^{b}$ 12 alvei aegrotantis mentio facta est, compilator § 196—197 p. 626$^{b}$ 15—24 adnectit alia quaedam de variis alveorum morbis, quae certo non debet Theophrasto. primus enim qui hic tractatur morbus longe aliter describitur § 178 p. 625$^{a}$ 5 sqq., quem locum illi adscripsimus [1].

[1] Aristot. h. a. VIII 27, 154 p. 605$^{b}$ 9 sqq. consentit fere cum § 196 p. 626$^{b}$ 15 sqq. neque non § 155 p. 605$^{b}$ 18 cum § 197 p. 626$^{b}$ 23.

deinde rursus Theophrastea esse quae legimus § 197 p. 626ᵇ 24—28 ex argumento conicias. — pleraque tandem quibus finitur caput aliam praebent speciem: videntur sumpta esse ex scriptore quodam de re rustica[1], qui vixit post Aristotelem. nam verba § 206 p. 627ᵇ 20 ἐὰν δ' ἔαρ ὄψιον γένηται ἢ αὐχμὸς καὶ ὅταν ἐρυσίβη, ἐλάττον'[2] ἐργάζονται αἱ μέλιτται τὸν γόνον expressa sunt ex Aristot. h. a. V 22, 115 p. 553ᵇ 19 (cf. Dittmeyer p. 67). signum autem tempestatis quod apes dare dicuntur § 205 p. 627ᵇ 10 sqq. Theophrastus sine dubio earum sollertiae tribuit[3]; sed nihil obstat ne praeter Theophrastum alius quoque id ab apiariis audiverit. dubites sane num illi de re rustica scriptori adscribas quae inveniuntur § 200—202 p. 627ᵃ 10—28: certe adhibitus est auctor diversus ab omnibus illis qui antea sunt expilati. hoc apparet conferenti § 200 p. 627ᵃ 10 sq. cum § 191 p. 626ᵃ 25, § 200 p. 627ᵃ 12 sqq. cum § 177 p. 624ᵇ 30 sqq., § 202 p. 627ᵃ 20 sqq. cum § 185 p. 625ᵇ 17 sqq.

Quodsi recte de huius capitis compositione disserui, de apibus praeter Theophrastum minimum tribus aliis auctoribus usus est libri noni scriptor. quamquam autem etiam in toto libro, ut videmus, multis locis pessime excerpsit auctores suos et alienissima coniunxit, tamen tanta confusio quantam hic deprehendimus vel compilatori inaudita est. vix potest credi sanum hominem tam consulto integros ac rectos sententiarum et rerum conexus additamentis aliunde petitis diripuisse, tam temere excerpta sua composuisse, ut omnis disputationis ordo periret. fortasse igitur aliter ortae sunt maximae illae huius capitis turbae. potuit eius scriptor continuae cuidam disputationi in margine adicere quae de eadem re alibi invenit, haec tum alieno loco a negligentibus librariis potuerunt inferri in commentarium. sed quomodo hoc factum sit, omnibus certe locis hodie explicare nequimus.

Satis vero memorabile aliud est quod discimus ex hoc capite: multum inde ab Aristotele apium scientia profecit; rectiora enim sunt plurima quae hic de iis proferuntur quam quae

---

[1] etiam Theophrastus tales scriptores adhibuit: cf. Kirchner *suppl. annal. phil.* VII p. 505 sqq.

[2] corr. Vsener: cod. Dᵃ ἐλάττονα, ceteri ἔλαττον.

[3] cf. p. 38.

habet Aristoteles[1]. atque vel hoc impedit quominus Aristotele antiquiores auctores adhibuisse noni libri scriptorem existimemus; quidni ex iis Aristoteles ipse suas de apibus opiniones correxerit? statuendum igitur erit cum Theophrastum, de quo hoc constat[2], tum alios Peripateticos sedulo in hanc historiae animalium partem inquisivisse atque quae et ab apiariis compererunt[3] et ipsi observaverunt litteris mandasse. horum quiqui fuerunt scriptionibus usus est qui nonum librum composuit, et ipse ut emendaret ac suppleret Aristotelem harum rerum admodum studiosus.

Claudunt agmen huius noni libri partis vespae et similia insectorum genera. quorum eadem fere atque apium est sollertia: itaque eorum quoque victum Theophrastum descripsisse non est cur negemus. sed non nullis repugnantiis quas diligenter indicavit Dittmeyer l. l. p. 78 sq. hic quoque plures adhibitos esse auctores demonstratur. ex uno eodemque sumpta sunt omnia quae leguntur c. 41, 207—211 p. 627$^{b}$ 23—628$^{a}$ 30. neque hunc fuisse Theophrastum non licet conicere. optime enim cum argumento περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους conveniunt quae inde a § 209 p. 628$^{a}$ 10 narrantur de favorum extructione et generatione; faciunt haec omnia ad vesparum victum et mores depingendos. atque quae antea exponuntur de generibus earum necessaria sunt ad intellegenda sequentia. deinde adnectuntur quaedam quae sunt alius auctoris. neque enim possunt scripta esse ab eodem verba § 212 p. 628$^{a}$ 33 διὸ καὶ κάθηνται ἐν τοῖς σφηκίοις ἀεί κτλ. atque § 210 p. 628$^{a}$ 21 sqq. denique tertium produnt auctorem verba § 216 p. 628$^{b}$ 25 αἱ δὲ μῆτραι καλούμεναι ἁλίσκονται τραπείσης τῆς ὥρας, αἱ πολλαὶ περὶ τὰς πτελέας κτλ., quae cum utroque illo loco pugnant. — iam etiam magis caecutimus in c. 42 et 43. num omnino adhibitus sit Theophrastus, plane est dubium. tantum constat c. 42, 218 p. 629$^{a}$ 6 διατρίβει δ' ἔσω καὶ οὗτος ὥσπερ καὶ ὁ τῶν σφηκῶν ἡγεμών eandem defendi opinionem quam habemus c. 41, 212 p. 628$^{a}$ 33, ita ut haec videantur scripta esse ab eodem quem illic sequitur scriptor. quem auctorem eundem esse qui expressus

---

[1] cf. Auberti et Wimmeri ad c. 40 adnotationes et Dittmeyer l. l. p. 21 et 150.

[2] librum περὶ μελίττων scripsit.

[3] cf. μελιττουργοί saepe adlati in c. 40.

est c. 40, 170—171 p. 624ª 18—33 Vsener intellexit. apertum indicium est usus nominis ἀφεσμός p. 629ª 9 et 624ª 28. 31, etsi p. 629ª 9 idem significat atque ἄφεσις. de patria huius auctoris haud scio an coniecturam capere liceat eo quod § 219 p. 629ª 13 κόφινος illi mensura est, quam vocis significationem Atticis plane inauditam fuisse Strattis comicus Pollucis IV 169 testatur, Boeotis Pollux IV 168 adscribit. tum pugnant rursus inter se c. 42, 221 p. 629ª 24 et c. 41, 212 p. 628ᵇ 1: hic igitur non iam adhibetur ille auctor.

Iam expectas finem assecutum esse totum librum. nam inde a. c. 3 continua serie pertractata sunt mores et sollertiae primum quadrupedum deinde avium tum animalium aquatilium denique insectorum. in universum igitur hunc rerum ordinem iure tribues etiam Theophrasteo libro. — quamquam non stricte aut putide per omnes eius partes servatus est: ubi enim generalis quaedam sententia illustranda erat, ut c. 6, 42 p. 612ª 1 sqq., inter eius generis de quo modo loquitur animalia alius quoque adfert Theophrastus, ut eam rem totam absolvat explanetque. — quid igitur si c. 44, 223 p. 629ᵇ 5 denuo incipit libri noni scriptor et sententia ex initio libri repetita inepte ruditerque antecedentibus subiungit novas de quadrupedum moribus narrationes? puto rem facilem esse intellectu. revolvit scilicet eum librum quem antea in primis est secutus, i. e. Theophrasteum illum, atque ex eius initio iis quae supra iam de quadrupedibus excerpserat addidit alia quaedam. quam explicationem esse rectam statim apparet: etenim Theophrastea esse quae de bonaso c. 45, 230 sqq. p. 630ª 18 sqq.[1] et de camelis c. 47, 237 p. 630ᵇ 31 sqq. legimus, cognoscimus ex mir. ausc. c. 1 et 2. qua re veri est simillimum Theophrasto deberi pleraque quae inveniuntur usque ad c. 47, 238 p. 631ª 7. non omnia ex eo excerpta esse in c. 45, sed non nulla ex naturali quadam historia iam statuimus (cf. p. 25). idem cadit in cetera capita. atque aliena esse a Theophrasto c. 44, 229 p. 630ª 11—17 et c. 46, 236 p. 630ᵇ 22—26 facile cognosces. primo obtutu etiam c. 44, 228 p. 630ª 3—8 ei abiudicabis, sed dubitabis puto, si p. 630ª 4 καὶ κεφαλὴν ἔχει ἰσχυράν comparaveris cum Theo-

[1] de huius animalis qua sese defendit sollertia eadem fere atque extant c. 45, 234 p. 630ᵇ 8 sqq. exponit Aristoteles d. part. anim. III 2 p. 663ª 13.

phrasteis apud Plin. n. h. VIII 130 *invalidissimum urso caput quod leoni firmissimum* (cf. p. 28).

Tum c. 48 p. 631[a] 8 sqq. adnectuntur quaedam de delphinorum moribus et sollertia, quae ex Theophrasto c. 37 de piscibus narrationibus addi valde est probabile. nempe quod de delphini moribus adumbratur § 239 p. 631[a] 9 καὶ δὴ καὶ πρὸς παῖδας ἔρωτες καὶ ἐπιθυμίαι καὶ περὶ Τάραντα καὶ Καρίαν καὶ ἄλλους τόπους, id Theophrastus in libro cui inscribitur ἐρωτικός plenius exposuit, ubi multus erat in amoribus inter homines et animalia enarrandis[1]. atque historia illa Carica sine dubio ea est quae narrabatur de puero illo ex Iasso urbe[2] nato. cuius duae diversae narrationes nobis notae sunt: unius auctor nominatur Duris ab Athenaeo XIII p. 606[c] et eandem habemus apud Plin. n. h. IX 27 in priore paragraphi parte[3], alterius auctor adfertur Hegesidemus a Plinio l. l.[4] sed si Plinius pergit § 28 *hoc idem et Naupacti accidisse Theophrastus tradit. nec modus exemplorum. eadem Amphilochi et Tarentini de pueris delphinisque narrant*, non omni videtur carere probabilitate Theophrastum etiam illam de puero Iassensi fabulam et Tarentinorum narrationem commemorasse. tum vero Theophrasteam historiae Caricae narrationem puto servari apud Plutarch. de soll. anim. c. 36 p. 984[e], qui etiam c. 18 p. 972[f] de conclamatis illis inter homines et animalia amoribus illum sequitur[5]. neque enim ex eodem fonte Plutarcheus locus fluxit atque Plinii narratio: deest apud Plutarchum pueri nomen, adferuntur testimonii loco nummi in quibus incisus erat puer delphino vehens[6].

Sed hic finem faciamus. nam quae sequuntur in nono libro non iam apta sunt argumento libri περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους neque in primis eius capitibus reperitur ullum Theo-

---

[1] cf. Athen. XIII p. 606[c], Aelian. V 29, Plin. IX 28, Gellius VI 8, 2; cf. Schneider Saxo Theophr. op. vol. V p. 199, Urlichsius *chrestomath. Plin.* p. 150.

[2] cuius de situ cf. Polyb. XVI 12, 1. cf. etiam A. Marxius *griech. Maerchen* etc. p. 13.

[3] cf. Marxius l. l. p. 19 sqq. idem fons subest: Athenaeus scilicet non plenam exhibet Duridis narrationem.

[4] cf. Marxius l. l. p. 14 sq.

[5] cf. Ael. V 29.

[6] aliter iudicat Marxius l. l. p. 15.

phrasteae originis indicium. effectum esse puto ut non iam inanis sonus sit eius libri titulus, sed speciem eius assequi possis ex nono h. a. libro.

Vt autem illam de noni libri auctoribus quaestionem, quoad eius fieri potest, absolvam, primum videamus de ultimis eius capitibus. atque certi aliquid proferri posse existimo de capitis $49^b$ origine. proficiscendum est a § 259 p. $633^a$ 17 μεταβάλλει δὲ καὶ ὁ ἔποψ τὸ χρῶμα καὶ τὴν ἰδέαν, ὥςπερ πεποίηκεν Αἰςχύλος ἐν τοῖςδε; sequuntur Aeschyli ex incerta tragoedia versus quibus dicitur upupam veris initio induere κίρκου speciem. hanc avis mutationem Theophrastum tractasse in uno de animalibus libro perspicuum est ex hist. pl. II 4, 4 μᾶλλον δ' ἐν τοῖς ζῴοις αἱ τοιαῦται μεταβολαὶ φυσικαὶ καὶ πλείους· καὶ γὰρ κατὰ τὰς ὥρας ἔνια δοκεῖ μεταβάλλειν, ὥςπερ ὁ ἱέραξ καὶ ἔποψ καὶ ἄλλα τῶν ὁμοίων ὀρνέων. hic re vera sermonem fieri de alterius avis in alteram mutatione intelleges, si totius loci inspexeris conexum; consentit autem Theophrastus cum Aristotele illo personato, quia κίρκος non est nisi species generis accipitrum; cf. h. a. IX 36, 128 p. $620^a$ 18. cum vero toto capite $49^b$ agatur de mutatione aut ipsarum avium aut earum coloris et vocum, omnia adeo cohaerent inter se, ut debeant deprompta esse ex uno eodemque auctore. adscribenda igitur sunt Theophrasto, praesertim cum ab eodem pendere videatur Plinius n. h. X 80 sqq., qui non uno nomine discedit a nono libro[1]. non huc facit locus Geopon. XV 1, 20 sqq., ubi similibus atque quae hic legimus praemittuntur Theophrasti et Aristotelis nomina. nam luce est clarius totum hunc locum contaminatum esse ex Theophr. hist. pl. II 4, 4, Aristot. h. a. V 19, 104 p. $552^b$ 1, [Aristot.] h. a. IX $49^b$ [2]. si autem Theophrastea continet caput $49^b$, ad quemnam eius librum haec pertinent? ad librum περὶ ζῴων φρονήςεως καὶ ἤθους? nemo credet. coniectura verum vix consequeris: videndum est quam ad rem de plantis illustrandam illam animalium mutationem adferat Theophrastus. nunc vero in primis secundi hist. pl. libri capitibus agitur de generatione plantarum atque id quod altera planta mutatur in alteram sine dubio pro generatione quadam aequivoca habetur c. 3 et 4. hanc opinionem recte accipiemus, si moniti erimus talem

---

[1] laudatur Theophrastus a Plinio l. l. § 79.

[2] erravit igitur Roseus p. 344, 5.

mutationem fieri posse mutatione seminis; cf. d. caus. pl. IV 4, 7 sqq. in hoc sententiarum conexu h. pl. II 4, 4 cum plantarum mutationibus comparatur quod accipiter mutatur in upupam, aliud serpentium genus in aliud. atque, quod gravissimum est, in comparationem vocatur etiam papilionis generatio, quamquam rem esse paullo aliam conceditur. papilionem autem αὐτομάτως fieri veteres censuisse certo colligitur ex Aristot. h. a. V 19, 93 et 95 p. 551ᵃ 1 sqq. et 13 sqq. finitur tum tota disputatio verbis ἀλλ' ἐκεῖνο συμβαίνει περὶ τὰ δένδρα καὶ ὅλως πᾶσαν τὴν ὕλην . . . ὥστε αὐτομάτην μεταβλαστάνειν μεταβολῆς τινος γινομένης ἐκ τῶν οὐρανίων τοιαύτης. quid multa? ut plantarum, ita etiam illas animalium mutationes attribuit Theophrastus generationi cuidam aequivocae vel certe cum de generatione aequivoca quaereret, illas quoque quocunque eas explicavit modo tetigit. itaque veri fit simillimum talia qualia extant in noni libri c. 49ᵇ tractasse eum in libro περὶ τῶν αὐτομάτων ζῴων [1]. — quod ad demonstrandum accedunt alia. rursus de iisdem plantarum mutationibus loquitur Theophrastus d. caus. pl. IV 4, 5 sqq. absolvitur haec disputatio c. 5, 7 verbis ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἐν ἄλλοις διὰ πλειόνων εἴρηται καὶ ὅτι δὲ καὶ περὶ τὰ ζῷα κατὰ μὲν τὰς γενέσεις τοιοῦτόν τι συμβαίνει, τελεσθεισῶν δὲ τῶν νεοσσιῶν οὐκέτι, πλὴν εἴ τις τὰς κατὰ τὰς ὄρνιθας ἀλλοιώσεις ἅμα ταῖς ὥραις γινομένας λέγοι. φαίνονται δὲ αὗταί γε πάθεσι μᾶλλον ὅμοιαι σωματικοῖς ἢ μεταβολαῖς. primum oritur quaestio quo hic respiciat scriptor. certo non ad locum de caus. pl. II 16, 3, ut voluit Kirchner l. l. p. 460. etenim nihil ibi de animalibus legimus neque omnino verba περὶ τούτων spectant ad ea quae proxime antecedunt, sed ad omnia quae antea disseruit Theophrastus. maiore cum iure cogites de loco h. pl. II 4, 4, sed ne hic quidem prorsus respondet iis quae illo loco dicuntur de animalibus. immo non alium de plantis librum hic significari puto, sed de animalibus quendam. id vel ea res suadet quod praecipue ibi sermonem factum esse de animalibus ipsa verba indicant. tum vero nullus alius potest intellegi nisi περὶ τῶν αὐτομάτων ζῴων liber. sed quoquo modo haec res se habet, id certum est etiam hic avium secundum anni tempora mutationes una cum generationis aequivocae specie quadam comme-

[1] Aristoteles huius modi quaestiones obiter tangit de gen. anim. V 6, 76 p. 786ᵃ 29 sqq.

morari. videmus autem Theophrastum non ex hac repetiisse illas, sed condiciones vel affectiones quasdam corporis illarum habuisse causas. hoc confirmatur loco quinti de caus. pl. libri, cuius in prima parte rursus perpensatur illa de generatione quaestio. vide enim c. 7, 3 ubi aliis animalium mutationibus adlatis pergitur: τῶν δὲ καὶ τετελειωμένων ἤδη κατὰ τὰ πάθη καὶ τὰς διαθέσεις τοῦ σώματος, αἳ γίνονται διὰ τὰς ἐπετείους ὥρας ὥσπερ ταῖς ὄρνισιν. ἐπὶ τούτων γὰρ μάλιστα καὶ λέγεται καὶ ἔνδηλος τῶν χρωμάτων μεταβολὴ καὶ τῶν ὅλων σωμάτων, ὥστε δοκεῖν ἑτέρους εἶναι. κτλ. perspicies iam quam bene haec congruant cum iis quae noni libri c. 49[b] exponuntur, intelleges qui ad ista in libro περὶ τῶν αὐτομάτων ζῴων deferri potuerit Theophrastus. scilicet vulgo credebatur upupam re vera αὐτομάτως mutari in accipitrem neque secus alias aves in alias. hanc opinionem sic refellit Theophrastus: non nullas aves secundum anni tempora mutare colorem et vocem, ita ut videantur prorsus esse aliae. simili modo Aristoteles h. a. VI 7, 41 p. 563[b] 14 sqq. reicit quod cuculum sua sponte fieri ex accipitre dicebant. et vero illo capite 49[b] haec adhibentur argumenta; monstratur has colorum et vocum mutationes etiam in alias de quibus illam transfigurationem non suspicabantur aves cadere. etsi ipsius Theophrasti argumentatio paullo rectius et dilucidius processisse putanda est.

Iam ultra licet progredi. illis enim librorum de plantis locis ubi Theophrastus loquitur de generatione non modo eas mutationes quae fiunt αὐτομάτως commemorat, verum etiam eas quae arte et certo consilio efficiuntur ab hominibus, cf. h. pl. II 4, 1; d. caus. pl. V 6, 12. et hic quidem cum quaerat num planta particula quadam sublata non ferat fructum, rursus animalia adhibet ad comparationem. lege ipsius verba h. pl. II 4, 3 εἰ δὲ κατά τινα πήρωσιν ἢ ἀφαίρεσιν μέρους δένδρον ἄγονον γίνεται, καθάπερ τὰ ζῷα, τοῦτο σκεπτέον κτλ. et de caus. pl. V 6, 13 συμβαίνει δὲ καὶ ἐν ἄλλοις μορίων τινῶν ἀφαιρουμένων ποιεῖν τινα διαφοράν, ὥσπερ ταῖς ἀμπέλοις, ὅταν ἡ μήτρα τοῦ κλήματος ξυσθῇ, τοὺς βότρυς ἀγιγάρτους εἶναι· καὶ πίστιν ταῦτα παράσχοιτ' ἂν ἴσως τοῖς ἀφ' ἑκάστου τῶν μερῶν λέγουσιν ἀπιέναι τὸ σπέρμα[1]. λύσις δ' ἥπερ εἴρηται καὶ

---

[1] hanc opinionem impugnat Aristoteles d. gen. anim. I 17, 33 sqq. p. 721[b] 9 sqq., plantae commemorantur 18, 37 p. 722[a] 11 sqq.

ἐπὶ τῶν ζῴων. hoc ultimo loco videtur relegari lector ad Theophrasti quendam de animalibus librum[1]. quae autem res in primis demat animalibus propagandi facultatem in aprico est: videlicet castratio. hanc sane potuit Theophrastus in libro περὶ γενέσεως pertractare, ut fecit Aristoteles[2]. Roseus igitur p. 372 hunc Theophrasti librum illo loco intellexit. sed quoniam perspeximus iis quae omnibus illis Theophrasteis locis de plantarum mutationibus dicuntur veri similiter respondisse libri περὶ τῶν αὐτομάτων ζῴων de animalibus disputationes, multo videtur esse probabilius hunc etiam illic significari. conicio igitur Theophrastum in illo libro ad avium mutationes delatum occasione data de aliorum quoque animalium mutationibus egisse. quod quidem certum non esse scio, sed fieri potest et commendatur, si quid video, similitudine eorum quae disserit scriptor de plantis. — nunc vero in nono libro c. 50, 245—248 p. $631^b$ 19—$632^a$ 13 agitur de ea ratione qua mutantur animalia castratione. nam in iis quae adiciuntur § 249—251 p. $632^a$ 13—32 non iam de hac re dicitur, sed fusius disputatur de ipsa castrationis arte, id quod nullo vinculo cohaeret cum proposito. priora autem illa cum c. $49^b$ coniuncta legisse scriptorem apud auctorem suum efficitur ex primis verbis μεταβάλλει δὲ τὰ ζῷα οὐ μόνον τὰς μορφὰς ἔνια καὶ τὸ ἦθος κατὰ τὰς ἡλικίας καὶ τὰς ὥρας, ἀλλὰ καὶ ἐκτεμνόμενα; nimirum c. 50 in pristino rerum ordine sequebatur caput $49^b$ [3]. ex iisdem verbis apparet etiam c. 49, ubi tractantur morum atque partium quarundam mutationes, in eadem atque capita sequentia commentatione compilatorem invenisse. itaque non video quid veri sit similius quam haec de mutationibus quoquo modo effectis omnia sumpta esse ex Theophrasti περὶ τῶν αὐτομάτων ζῴων libro.

Haec habui quae dicerem de ultimis noni libri capitibus.

---

[1] Schneider Saxo vol. IV p. 404 adnotat *disputationem de semine animalium in his libris de plantis nusquam attingi memini.* cf. supra p. 6.

[2] cf. d. gen. anim. I 2, 5 p. $716^b$ 3 sqq., IV 1, 26 p. $766^a$ 24 sqq.; cf. V 3, 55 p. $784^a$ 6 sqq., V 7, 88 p. $787^b$ 19 sqq.

[3] non puto mutandum esse capitum ordinem quem omnia tradunt manuscripta; male certe mutarunt plurimi editores et maiores insunt turbae in Gazae versione et in editione Aldina, cf. Aubertus et Wimmer vol. II p. 323. excerptor divulsit ac transposuit cohaerentia; idem aut ipse finxit verba c. 50 κατὰ τὰς ἡλικίας aut cum antea omisisset quaedam, transitum exhibuit plenum.

nam frusta illa c. 50, 252—253 p. $632^{a}$ 33 sqq., quae pessime inculcat scriptor in alium conexum, et c. $49^{b}$, 260 p. $633^{a}$ 29 sqq., quae cum antecedentibus nullo vinculo coniuncta adsperguntur, unde deprompta sint nec scimus nec multum interest scire.

Restat libri initium. cuius in prooemio quaedam videntur deberi octavi h. a. libri initio[1], sed ne cetera quidem suspiceris de suo addidisse scriptorem. tum § 7 p. $608^{b}$ 19 — c. 2, 28 p. $610^{b}$ 19 tractantur animalium amicitiae et inimicitiae. alium auctorem hic sequitur scriptor atque Theophrastum, quia discrepant non nulla ab eis quae Theophrastea esse cognovimus (vide Dittmeyerum l. l. p. 76 sq.)[2]. de huius partis auctore ut coniecturam periclitemur, proponi potest Eudemus Rhodius, quem de animalium amicitiis egisse colligas ex Aeliano IV 45 et ex septimo Ethicorum libro, ubi saepe talia adfert. et sunt quibus stabiliatur haec coniectura. an casu censes accidisse ut causa cur bellum esse inter animalia dicatur § 7 p. $608^{b}$ 19 πόλεμοϲ μὲν οὖν πρὸϲ ἄλληλα τοῖϲ ζῴοιϲ ἐϲτίν, ὅϲα τοὺϲ αὐτούϲ τε κατέχει τόπουϲ καὶ ἀπὸ τῶν αὐτῶν ποιεῖται τὴν ζωήν κτλ. redeat eadem in Eudemi Ethicis p. $1235^{a}$ 19 καὶ τὰ ἀπὸ τῶν αὐτῶν τρεφόμενα πολέμια ἀλλήλοιϲ ζῷα?[3] nam id tenendum est hanc sententiam praemitti toti illi noni libri disputationi, ut indicetur qua via ac ratione rem pertractaturus sit scriptor. praeterea § 8 p. $608^{b}$ 27 legimus ὅθεν καὶ τὰϲ διεδρίαϲ καὶ τὰϲ ϲυνεδρίαϲ οἱ μάντειϲ λαμβάνουϲι, δίεδρα μὲν τὰ πολέμια τιθέντεϲ, ϲύνεδρα δὲ τὰ εἰρηνοῦντα πρὸϲ ἄλληλα. eadem res significatur ab Eudemo Ethic. p. $1236^{b}$ 6 sqq. αἱ δ' ἄλλαι (sc. φιλίαι) καὶ ἐν τοῖϲ θηρίοιϲ καὶ τὸ χρήϲιμον ἐπὶ μικρόν τι φαίνεται ἐνυπάρχον καὶ πρὸϲ ἄνθρωπον τοῖϲ ἡμέροιϲ καὶ πρὸϲ ἄλληλα, οἷον τὸν τροχίλον φηϲὶν Ἡρόδοτοϲ τῷ κροκοδείλῳ καὶ ὡϲ οἱ μάντειϲ τὰϲ ϲυνεδρείαϲ καὶ διεδρείαϲ λέγουϲιν. dicit enim vel ab auspicibus eas aves distingui quae propter utilitatem concordia inter se utantur et quae sint discordes eandem ob causam. qui consensus eo fit memorabilior quod fere nusquam alibi inve-

---

[1] hoc iam animadverterunt Aubertus et Wimmer.

[2] etiam cum Aristotele pugnant quaedam, cf. idem p. 17 sq.

[3] etsi simile quid commemoratur in eis quae probabiliter ad Theophrastum referuntur c. 6, 48 p. $612^{b}$ 2 μάχεται δὲ (sc. ἡ γαλῆ) καὶ τοῖϲ ὄφεϲι μάλιϲτα τοῖϲ μυοθήραιϲ διὰ τὸ καὶ αὐτὴν τοῦτο τὸ ζῷον θηρεύειν.

niuntur haec auspicum artis vocabula[1]. sed ne in his primis quidem capitibus non admiscuit aliena noni libri scriptor. luce enim est clarius ex alio atque antecedentia auctore sumptam esse narrationem c. 1, 18 p. $609^{b}$ 16—18, quae adversa fronte pugnat cum proximis sententiis[2] iisque γάρ particula inepte subiungitur. quod confirmatur etiam sermone; solo hoc loco legimus p. $609^{b}$ 18 κτείνει, cum p. $608^{b}$ 24; $609^{a}$ 26, $^{b}$ 32 extet ἀποκτείνει. deinde sententia p. $609^{b}$ 18 sq. οἰκεῖ δ' ὁ ἄνθος παρὰ ποταμὸν καὶ ἕλη, χρόαν δ' ἔχει καλὴν καὶ εὐβίοτος et quae § 19 p. $609^{b}$ 21—25 de ardeis disseruntur plane diversa a proposito, male huc irrepserunt ex compilatoris excerptis Theophrasteis: cf. p. $615^{a}$ 27 sq. et p. $616^{b}$ 33 sqq. quare veri fit simile etiam ea quae § 24—25 p. $610^{a}$ 15—33 de moribus et domitu elephantorum inseruntur et huc certe non quadrant, deprompta esse ex Theophrastei libri περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους de hoc animali disputatione, cuius alias partes legimus c. 46, 235 p. $630^{b}$ 18 sqq. si autem re vera Eudemus adhibitus est noni libri initio, fieri potest ut quae de animalium sollertia eius scriptor non est mutuatus ex Theophrasto, velut in c. 32, 116 p. $619^{a}$ 14—36, 132 p. $620^{b}$ 8, petierit ex Eudemo.

Hoc igitur satis certis opinor argumentis de nono illo h. a. libro statuere licet, quod scitu est dignissimum[3]: philosophus quidam peripateticus, discipulus fortasse Theophrasti, non ita multum post magistri mortem vel etiam vivo illo ineunte saeculo tertio quae ei ad supplendam Aristotelis historiam animalium[4] idonea videbantur in unum librum congessit, ita ut plurima excerperet ex Theophrasti libro περὶ ζῴων φρονήσεως καὶ ἤθους, adderet pauca ex eiusdem libro περὶ τῶν αὐτομάτων ζῴων, alia ex aliis hausta interponeret et conglutinaret Theophrasteis, initium certe libri, nisi omnia me fallunt, ornaret Eudemeis. quae compilatio satis male ei cessit: saepe ita auctorem excerpsit, ut quid ille dicere voluerit vix cognoscas, col-

---

[1] praeter Aeschyl. Prometh. v. 488 sqq. W. γαμψωνύχων τε πτῆσιν οἰωνῶν σκεθρῶς | διώρισα . . . . | . . . καὶ πρὸς ἀλλήλους τίνες | ἔχθραι τε καὶ στέργηθρα καὶ συνεδρίαι.

[2] cf. Dittmeyer l. l. p. 76.

[3] de Dittmeyeri (l. l. p. 160 sq.) coniecturis praestat tacere.

[4] hoc sibi proposuisse scriptorem inde concludas quod saepius ad ipsam hist. anim. relegat lectorem, nisi vero tales sententiolas omnes dicis tribuendas esse posteris editoribus.

lectam materiem non numquam pessime disposuit neque uno loco ineptis ac vanis usus flosculis ab alia re transit ad tractandam aliam. quid igitur mirum si etiam dicendi genere utitur negligenti et confuso? quod quam procul distet ab Aristoteleo ostendit iam Dittmeyer l. l. p. 153 sqq. sed licet multa male atque inusitatius dicta ipsi des scriptori, tamen fieri non potuit quin ipsum orationis colorem saepissime duceret ab eo quem excerpsit auctore. itaque cum huc usque rebus et libri argumento nisus conatus sim eius auctores indagare, nunc insintne quaedam quae cum recedant ab Aristotelis consuetudine, congruant cum Theophrasti sermone, quantum possum perquiram.

Ne expectes multa: singula proferam, nam omnia illa quominus explicentur ex Theophrasteo sermone, impeditur vel argumenti proprietate, impeditur etiam eo quod nequit diiudicari quam multa novaverit excerptor. at tamen nolui pauca illa quae habeo prorsus omittere, ut hoc unum saltem ostendam sermonem non refragari meae de nono libro coniecturae.

Atque primum animadverte vocabulorum delectum. qua in re si non nulla inveniuntur quae quamvis aliena ab Aristotele, tamen adhibentur ab aliis attici sermonis scriptoribus, velut a Platone, neque hercle miraberis neque huic rei quicquam tribues. nihilo setius vide num casu factum sit, ut ipsorum horum vocabulorum pauca, quae minime sunt usitatissima, etiam legantur apud Theophrastum[1]. sunt vero haec:

ἐπικαταλαμβάνειν (p. $611^b$ 33) post Thucydidem et Platonem Theophr. h. pl. II 6, 10.

εὐήλιος (p. $616^b$ 14) post Euripidem Aristophanem Xenophontem Theophr. h. pl. I 8, 1; IV 1, 1.

καταπλάττειν (p. $612^a$ 18) post Herodotum et Aristophanem Theophr. h. pl. IX 11, 1, 2; 13, 3; fr. IV 59, 60 W.

κοιλαίνειν (p. $614^b$ 14) post Herodotum Hippocratem Thucydidem Theophr. h. pl. III 12, 1; V 4, 5 etc. saepissime.

λαγαρός (p. $622^b$ 23) post Hippocratem Aristophanem Xenophontem Theophr. h. pl. IX 10, 3 (cf. Schmidius *de Atticismo* I p. 125).

---

[1] ethicis charact. usus non sum iis praecipue commotus quae Dielsius disseruit in progr. Berol. 1883 p. 8 sqq.

cτέριφοc (p. 611ᵃ 12) post Aristophanem et Platonem Theophr. d. c. pl. II, 11, 1, 3; Aristot. dicit ἄγονοc.
cυcπειρᾶν (p. 625ᵇ 8) post Xenophontem et Platonem Theophr. h. pl. IV 3, 6; 4, 13 (cf. Lobeckius Phryn. p. 204).
cυχνόc (p. 619ᵃ 32) post Herodotum Thucydidem Xenophontem Platonem Theophr. h. pl. III 11, 3; IV 8, 10 saepius.
χαράδρα (p. 614ᵇ 35) post Herodotum et Thucydidem Theophr. h. pl. IX 11, 5; d. c. pl. III 6, 3.

Verum in primis noni libri sermo eo distat ab Aristoteleo quod multo maior vocabulorum numerus adscitus est ex poetarum consuetudine. quorum ea sola adferam exempla quae antea ne Platoni quidem aut Xenophonti erant in usu:

ἀμύττειν p. 619ᵃ 23 (habet etiam Herodotus)
βῆccα p. 618ᵇ 24
δρόμημα p. 629ᵇ 19 (ab aliis dicitur δρόμοc)
ἐμφερήc p. 626ᵃ 6 (cf. Schmidius l. l. I p. 327; primus in oratione pedestri adhibet verbum Theophr. multis locis)
εὐθήμων p. 616ᵇ 23 et 618ᵇ 30
κακόποτμοc p. 616ᵇ 21
λάcκειν p. 618ᵇ 31
λήϊον p. 612ᵃ 32 (coniunctionem τοῦ cίτου τὸ λήϊον habet etiam Arrianus anab. I 4, 1 διέβαλον δὲ τῆc νυκτὸc ᾗ λήϊον ἦν cίτου βαθύ)
λόχμη p. 615ᵃ 17
μεταμείβειν p. 612ᵇ 6
ὄρεγμα p. 632ᵃ 31
πολύϊδριc p. 616ᵇ 24
πολύτεκνοc p. 616ᵇ 10
ῥύβδην p. 624ᵃ 24 (in uno Hipponacte restitutum a Bergkio fr. 35, 1. cf. Hesych. ῥύβδην· δαψιλῶc. ἢ ταχύτητι ἢ μετ' ἤχου cφοδροῦ et Suidas ῥύβδην· ὡc ἐπὶ ῥεύματοc, cφοδρῶc, φοβερῶc, δαψιλῶc [eadem ap. Phot. v. ῥοίβδειν])
cίμβλοc p. 627ᵃ 6 (pedestris sermonis scriptores dicunt cμῆνοc)
cπῆλυγξ p. 616ᵇ 26 (invenitur apud poetas alexandrinos)
φιλοπαίγμων p. 629ᵇ 11
χηραμόc p. 614ᵇ 35
ὠκυβόλοc p. 618ᵇ 29.

his adicio pauca vocabula quae non reperiuntur nisi apud comicos aut certe poetarum saepissime apud eos, ita ut dubites utrum sint poeticae consuetudini propria an ad cottidianum pertineant sermonem:

ἀφοδεύειν p. 630ᵇ 15 [1] (ad comicum sermonem numerat verbum Schmidius l. l. I p. 313; Aristoteles dicit περίττωμα ἀφιέναι)
ἐκροφεῖν p. 612ᵃ 31
ἐνόρχης p. 632ᵃ 20 (alioquin ἔνορχος)
κάλλαιον p. 631ᵇ 10, 28 (Aristoteles dicit λόφος)
κοκκύζειν p. 631ᵇ 9, 16 (ab aliis dicitur ᾄδειν; secundum Polluc. V 89 etiam Hyperides et Demosthenes scripserunt κοκκύζειν)
ψαρός p. 632ᵇ 19.

vides quantum hic post Xenophontem Platonem vel Aristotelem profecerit posteriorum scriptorum mos ac studium, ut poetico colore vellent imbutam esse orationem. neque vero hic progressus abhorret a Theophrasti ratione dicendi. immo ipse non pauca vocabula poetica primus intulit in pedestrem sermonem. certissima et quae mihi sunt in promptu adponam exempla:

ἀκάρπωτος d. c. pl. III 13, 3 (in pedestri sermone ἄκαρπος. de talibus adiectivorum formis a poetis frequentatis vid. Wilamowitzius in Eur. Hercul. II p. 107)
ἀκρεμών h. pl. I 1, 9 saepius (cf. Schmidius l. l. I p. 148; Krelingius *de usu poet. et dialect. voc. ap. script. graec. seriores* I Traiecti ad Rh. 1886 p. 4)
ἀμενηνός h. pl. IV 12, 2; d. c. pl. I 5, 4 saepius (cf. Schmidius l. l. I p. 319) [2]
ἀμέρδειν h. pl. IX 8, 2
ἄμητος h. pl. III 4, 4 (cf. Schmidius l. l. I p. 319; ab aliis dicitur τρύγητος θερισμός)
ἀμφήκης h. pl. IX 8, 7 (sed fortasse hic utitur veteri quadam formula)
ἀπαμᾶν fr. II 21 W.
ἀτμός d. c. pl. IV 13, 7; fr. III 43 W.; fr. V 23 W. (cf. Krelingius l. l. p. 12; Herodotus Plato Aristoteles adhibent ἀτμίς, quod vocabulum apud Theophr. quoque principatum tenet; ἀτμός habet praeter poetas et posteriores scriptores Hippocrates)
ἄφαντος fr. IX 2 W. (cf. Schmidius l. l. II p. 191, Krelingius l. l. p. 13; ab aliis usurpatur ἀφανής)
βέρεθρον h. pl. III 1, 2; V 4, 6 (attice βάραθρον cf. Schmidius l. l. I p. 258)
βλάστημα h. pl. I 1, 9 et saepissime aliis locis (cf. Schmidius l. l. II p. 192)
βοτρυδόν h. pl. III 16, 4 (cf.

---

[1] προσαφοδεύειν p. 630ᵇ 9 praeter locum mir. ausc. p. 830ᵃ 18, qui cum hoc communis est originis, nusquam legitur.

[2] hoc vocabulum legitur etiam noni libri c. 41, 213 p. 628ᵇ 1.

Schmidius l. l. I p. 324; in universum de huius modi adverbiis in attico sermone rarissimis cf. Krelingius l. l. p. 63)[1]

δροσερός d. c. pl. III 6, 8

δυσκατάπαυστος fr. V 35 W.

ἐξοιδεῖν h. pl. IV 12, 2 (cf. Schmidius l. l. I p. 328; Krelingius l. l. p. 27)

ἔρνος h. pl. II 1, 3 et saepissime alibi (cf. Schmidius l. l. I p. 329)

εὐκαμπής h. pl. III 10, 4 (cf. Schmidius l. l. I p. 330; Aristoteles habet εὔκαμπτος, quam vocem ne Theophrastus quidem sprevit, cf. h. pl. I 5, 5; V 6, 2)

εὔσημος d. c. pl. VI 19, 5 saepius (cf. Krelingius l. l. p. 68)[2]

ζείδωρος h. pl. IX 15, 1 (cf. Schmidius l. l. I p. 331)

ζωρός fr. 116 W. (cf. Schmidius l. l. I p. 331)

θωμός d. c. pl. IV 13, 6

καματώδης fr. VII 13 W.

κατασκέλλειν d. c. pl. VI 14, 11 (cf. Schmidius l. l. I p. 334)

κῆρες d. c. pl. V 10, 4 (vide quam aliter dicat Plato legg. XI p. 937[d] τοῖς πλείστοις τῶν καλῶν οἷον κῆρες ἐπιπεφύκασιν)

λιβάς h. pl. II 4, 4 (cf. Schmidius l. l. II p. 201)

λιθοκόλλητος fr. II 35 W. (cf. Schmidius l. l. I p. 337)

μυδᾶν h. pl. IV 14, 5; d. c. pl. V 18, 2 (cf. Schmidius l. l. I p. 152)

νηπενθής h. pl. IX 15, 1 (cf. Schmidius l. l. I p. 339)

οὖλος h. pl. III 2, 3 et plurimis locis aliis

παῦρος h. pl. VIII 7, 4

πέπειρος d. c. pl. III 6, 9 (cf. Schmidius l. l. I p. 342)

περισκελής h. pl. IX 10, 4; d. c. pl. II 3, 3 etc. (praeter Hippocratem pedestris orationis non nisi posteri scriptores, vid. Lobeckius ad Soph. Aiac. v. 648)

συναυδᾶν fr. XII 16 W. [p. VII[b] 20 Vs.]

συννεφής fr. V 2 W.

χλοερός h. pl. III 15, 3; 17, 3; 18, 8 (cf. Schmidius l. l. I p. 154; in pedestri oratione huius vocabuli vicem praestat χλωρός forma, quae bis etiam apud Theophr. traditur)

ψαφαρός h. pl. VIII 2, 11; fr. I 66 W. saepius.

---

[1] iuvat comparare Athenaei (i. e. Aristophanis Byz.) VII p. 316[e] verba καὶ τίκτει ᾠὰ βοτρυδόν cum ipso Aristotele h. a. V 18, 88 p. 550[a] 11 καὶ ἀλλήλων ἐχόμενά ἐστιν οἷον βότρυς τὸ πᾶν.

[2] Aristoteles semel habet adverbium εὐσήμως secundum Bonitzi indicem.

ex comico dicendi usu mihi duo haec apud Theophrastum innotuerunt exempla:

ἀνακυκᾶν d. c. pl. VI 1, 5
εὐρωτιᾶν d. c. pl. I 6, 8 (cf. Schmidius l. l. I p. 314).

Praeterea aliud proprium est noni libri. etenim multa in eo vocabula leguntur quae post Aristotelem demum fiunt usitata aut omnino nusquam alibi adhibentur. profero haec[1]:

ἀγκιστροφάγος p. 621$^b$ 1 (sine dubio piscatorum vocabulum; translatum adiectivi usum *videtur Hesychius apud veterem comicum invenisse*[2]; habet enim ἀγκιστροφάγος· φιλάργυρος)
*ἀκανθηρός p. 621$^b$ 16
ἁλμυρίζειν p. 613$^a$ 3
ἀνθοφορεῖν p. 625$^b$ 19 (Theophr. d. c. pl. I 5, 5 habet ἀνθοφόρος)
ἀντεκτρέφειν p. 615$^b$ 23, 25
συγκαταπλέκειν p. 612$^b$ 23
*ἀντιφρίττειν p. 630$^a$ 2
ἀπομαλακίζεσθαι p. 613$^a$ 1
ἀποψήχεσθαι p. 630$^b$ 11
*ἀχύρωσις p. 612$^b$ 22
*βιομήχανος p. 616$^b$ 17, 11
*γαμψότης p. 619$^b$ 9
*γαμψοῦσθαι p. 619$^a$ 17
δειπνοφόρος p. 616$^b$ 34, 619$^b$ 24
δελφινίσκος p. 631$^a$ 17
*διακυλινδεῖν p. 613$^b$ 26
διαμασᾶσθαι p. 612$^a$ 1, 613$^a$ 3 (saepissime hoc verbo utitur Theophrastus)
δυσθήρατος p. 615$^a$ 22
εἴσδυσις p. 616$^a$ 6, 28
*εἰσπτύειν p. 613$^a$ 4
*εἰστρέπεσθαι p. 621$^a$ 8
*ἐκβλητικός p. 612$^a$ 5
ἔξωχρος p. 631$^b$ 28 (praeterea unus habet Theophrastus h. pl. IV 6, 3)
*ἔπαγρος p. 616$^b$ 34
*ἐπικορίζειν p. 614$^a$ 10
ἐπισκεπής p. 616$^b$ 14 (legitur apud unum Theophrastum fr. V 30, 32, 34 W.)
ἐπισυρίττειν p. 614$^b$ 22
ἐριώδης p. 630$^a$ 30 (unus habet Theophrastus h. pl. III 7, 4; VII 13, 8, qui omnino frequentat haec adiectiva in -ωδης exeuntia, cf. p. 60)
θολώδης p. 620$^b$ 16 (praeter Hippocratem apud posteriores scriptores)
*σκυτώδης p. 622$^a$ 21
εὐβίοτος p. 609$^b$ 19 saepius
εὔθικτος p. 616$^b$ 22
εὐθύτριχος[3] et οὐλότριχος

---

[1] asterisco notavi vocabula quae alibi nusquam inveniuntur.

[2] verba sunt Alberti in edit. M. Schmidti adlata.

[3] scribendum erit εὔτριχος, quod adiectivum et plurimi libri tradunt et testatur Aristoph. Byz. p. 74, 4 L. Aristoteles habet εὔθριξ.

p. $629^{b}$ 34. 35 (Aristoteles dicit εὐθύτριξ et οὐλόθριξ)

εὐκρυφής p. $623^{a}$ 28 (dicitur ab aliis εὔκρυπτος)

ἡλιάζεςθαι p. $611^{b}$ 14 (cf. Usener *der heil. Theodosius* p. 38, 22 et 145)

θαυμαςτοῦν p. $633^{a}$ 8

*θριποφάγος p. $616^{b}$ 29 (nusquam alibi adhibetur: sed cum Aristoteles dicat ςκώληξ, numquam θρίψ, et ςκωληκοφάγος, Theophrastus habet et substantivum θρίψ et adiectiva ab eo derivata θριπώδης θριπόβρωτος θριπήδεςτος)

ἰχθυοφαγεῖν p. $616^{a}$ 32

*καθαμμίζειν p. $620^{b}$ 29

*κακοπετής p. $616^{b}$ 11

κατακολυμβητής p. $631^{a}$ 31 (Aristoteles dicit κολυμβητής)

καταςιγάζειν p. $614^{a}$ 20

καταχρίειν p. $625^{b}$ 31

κονίςτρα p. $613^{b}$ 9

κυματίζειν p. $622^{a}$ 18

κυνηγεῖν p. $619^{a}$ 33 (antea dicitur κυνηγετεῖν, cf. Lobeckius Phryn. p. 432)

κυνόδηκτος p. $630^{a}$ 8 [1]

*κυψελίς p. $618^{a}$ 34 (cf. κυψέλιον alveus p. $627^{b}$ 2)

μυγμός p. $621^{a}$ 29

νυκτίνομος p. $616^{b}$ 25

*ὁμοιοβίοτος p. $617^{a}$ 11

ὀρνιθοφάγος p. $612^{b}$ 14

*ὀφθαλμοφόρος p. $617^{a}$ 9

παραποτάμιος p. $630^{b}$ 26 (cf. Schmidius l. l. I p. 370)

*παροχετεύεςθαι p. $613^{a}$ 7

πρόρριζος p. $616^{a}$ 2 (translate apud poetas inde ab Homero, proprie primum apud Theophr. h. pl. III 6, 4)

ῥητίνη p. $617^{a}$ 19 (primus sic loquitur Theophrastus h. pl. V 7, 7 et saepius; usque ad Aristotelem in usu erat κόμμι)

ςκηνοπηγία p. $612^{b}$ 22 (cf. Ideler *Chronolog.* I p. 523)

ςκυμνίον p. $611^{b}$ 32 (Aristoteles habet semper ςκύμνος)

ςτερκτικός p. $629^{b}$ 11

ςυναγανάκτηςις p. $612^{b}$ 35 (invenitur apud Dionys. Hal.; etiam verbum ςυναγανακτεῖν posterioris est graecitatis, cf. Schmidius l. l. I p. 375)

*ςυνυφής p. $622^{b}$ 10, $624^{a}$ 6

τεκνοτροφεῖν p. $625^{b}$ 20

*ὑλοκοπεῖν p. $616^{b}$ 25

*ὑποκάπτειν p. $618^{a}$ 23

ὑπονεῖν p. $631^{a}$ 18 (habet Hippocrates et posteriores scriptores)

ὑποπόρφυρος p. $616^{a}$ 15

φωλεός p. $611^{b}$ 34, $622^{a}$ 28, $^{b}$4 (Aristoteles dicit θαλάμη)

ᾠοφόρος p. $621^{b}$ 20.

[1] p. $630^{b}$ 8 Camus et Schneider cum non nullis libris et mir. ausc. c. 1 recte scribere videntur ἐξαδυνατῇ, quod verbum saepius legitur apud Aristotelem; ceteri libri praebent ἐξατονῇ, quod verbum ἅπαξ est εἰρημένον.

vel in his sunt quae certarum artium dixeris vocabula: adde manifesta huius modi exempla haec:

ἀμυντῆρες p. 611ᵇ 5
ἐλμινθιᾶν p. 612ᵃ 31
καμηλίτης p. 630ᵇ 35
καπρία [1] p. 632ᵃ 21, 26
μελισσεύς p. 626ᵃ 10 (idem est quod alibi μελιττουργός)
παλεύτρια p. 613ᵃ 23
πατρῷος p. 630ᵃ 29
πατταλίας p. 611ᵃ 34
πηκτή p. 614ᵃ 12 (semel legitur apud Aristophanem)
ῥαβδεύειν p. 620ᵇ 31
ῥαβδίον p. 620ᵇ 32
στημονίζεσθαι p. 623ᵃ 9.

sed iam vidimus eorum quae nobis modo obvia erant vocabulorum non nulla Theophrastum aut primum adhibuisse aut solum. quae res multo latius patet. magnus enim est numerus earum vocum quae in litteris graecis primum inveniuntur apud Theophrastum, magnus earum quibus ille solus utitur. atque prioris classis ne indicata iterum indicem, perlustra quaeso quae adtulit Schmidius l. l. I p. 353—65, 368—70, 372—73, 376—77, 379; multa invenies quae huc faciunt. interim haec addo:

ἄδεκτος fr. XII 9 W. [p. Vᵇ 18 Vs.]
ἀκαμπής h. pl. III 10, 4; 11, 1 (cf. Schmidius l. l. I p. 353; Aristoteles dicit ἄκαμπτος)
ἄκυμος fr. V 4 W. (ab aliis dicitur ἀκύμων)
ἀνάρτησις fr. VII 10 W.
ἀναπιδύειν d. c. pl. VI 4, 1
ἀπνεύματος d. c. pl. I 8, 3; fr. V 16 W.; etc.
ἀποπίεσις fr. III 11 W.
*ἀποστέγασμα d. c. pl. V 13, 3
*ἀτεραμνότης d. c. pl. IV 3, 2
*γλύκανσις d. c. pl. IV 4, 5 (cf. Lobeckius Phryn. p. 116)
διευτονεῖν fr. I 7 W.
διήθησις d. c. pl. VI 1, 1
δροσοβόλος d. c. pl. VI 18, 3 saepius
*δυσίδρως fr. IX 20 W.
ἐναπόμιξις d. c. pl. VI 1, 1; 3, 1
*ἔναυρος h. pl. VIII 11, 6
ἐξαυάζειν fr. 172, 2 W. (ab aliis dicitur ἐξαυαίνειν, quod verbum adhibet etiam Theophrastus)
*ἐπατενίζειν fr. VIII 9 W.
ἐπινεφής d. c. pl. V 12, 2; fr. V 4 W.
ἐπιπλάττειν fr. I 8 W.; h. pl. IX 13, 3
ἐπιπωματίζειν fr. III 59 W.
εὐδιάπνευστος fr. IV 39 W.

[1] aliud significat ap. Arist. cf. Bonitzi ind.

εὐδιάχυτος d. c. pl. IV 12, 2 etc.
εὐμετάπτωτος fr. I 45 W.
εὐπεριαίρετος h. pl. III 5, 3; V 1, 1; multaque alia huius generis adiectiva
εὔζωος d. c. pl. IV 4, 10 saepius
εὔκαυστος fr. III 72 W. saepius
εὐπαθής d. c. pl. IV 1, 3 saepius
*εὐσκεπής h. pl. IV 1, 1; d. c. pl. I 13, 11: fr. V 24 W. (Thucydides dicit εὐσκέπαστος)
ζῳοῦσθαι d. c. pl. IV 15, 3 saepius
*ἡλιόβολος d. c. pl. IV 12, 3
θαλαττοῦν d. c. pl. VI 7, 6
θερμοβαφής et ψυχροβαφής fr. IV 22 W.
ἰλυώδης h. pl. IV 11, 9 (cf. Schmidius l. l. I p. 159)
κυματώδης fr. V 4 W.
σπασματώδης fr. VII 13 W. (huius modi adiectiva in -ώδης exeuntia sescenties leguntur apud Theophr.; plura exempla adponere supersedeo)
κατασάττειν d. c. pl. V 6, 2
*κατωφελής[1] d. c. pl. IV 11, 4
*κεραυνοβλής h. pl. III 8, 5
λεαντικός d. c. pl. VI 1, 3
λειψυδρία d. c. pl. V 12, 1
λιμνοῦσθαι d. c. pl. V 12, 3 saepius
μεγαλόσχημος d. c. pl. VI 1, 6 (de monachis postea dicitur); item μεγαλόκαρπος μεγαλόκαυλος μεγαλόσταχυς μεγαλόφυλλος
πάρωρος d. c. pl. V 1, 2 etc.
*περιβοθροῦν d. c. pl. V 13, 1
*περισυρμός fr. III 53 W.
πολυχρονιότης fr. IV 19 W.
προσεπιλέγειν d. c. pl. I 21, 7; 22,5; I 11,8 (προσεπειπεῖν)
συνεπιμαρτυρεῖν d. c. pl. VI 16, 6
*συνεξόζειν fr. IV 60 W.
συμπαρορμᾶν fr. V 15 W.
*συνεκφλεγμαίνειν fr. VII 12 W.; et alia verba cum duabus praepositionibus composita
ῥόφημα fr. III 49 W. (de substantivis in -μα exeuntibus quae posteris in deliciis sunt cf. Schmidius l. l. II p. 222)
ὕλημα h. pl. III 3, 6 et permultis aliis locis
στυπτικός d. c. pl. VI 14, 7; fr. IV 21 W.
σωμάτωσις d. c. pl. VI 11, 14
ὑπονεάζειν h. pl. III 1, 6
φιλόψυχρος h. pl. III 2, 4; d. c. pl. II 3, 3 etc.
φύσιμος d. c. pl. IV 4, 7 saepius
*χαλαζοκοπία d. c. pl. V 8, 2
ὠμοτριβής fr. IV 15 W.

desino iam cumulare exempla: satis superque sufficiunt quae adtuli ad id quod volui ostendendum. Theophrastum autem etiam artis vocabula quibus usus est saepissime sive ipsum for-

[1] ex certa Scaligeri coniectura, libri: κατωτελῆ.

masse sive ex vulgari sermone transtulisse in litteras paucis demonstrabo exemplis, quorum numerus non minus facile quam illorum potest augeri. passim iam in eis quae adtuli exemplis quae huc spectare dicas inveniuntur. addo haec:

ἀμπελουργεῖν, ἀμπελουργία d. c. pl. III 15, 1 et saepissime aliis locis (cf. Schmidius l. l. I p. 353)
ἀπαράβλαστος h. pl. I 5, 1 saepius
βλαστολογία d. c. pl. III 2, 1 saepius
ἐκλιθολογεῖν d. c. pl. III 20, 5
ἐνιαυτοφορεῖν h. pl. III 4, 1
ἐπικνίζειν h. pl. IV 2, 1 saepius
ἐρεθισμός fr. IX 16 W.
εὔινος h. pl. III 11, 3 saepius
λεπτόφλοιος, παχύφλοιος h. pl. I 5, 2 saepius
νέα, νέανσις d. c. pl. III 20, 7
ὀλυνθοφορεῖν h. pl. III 7, 3, ὀλυνθοφόρος d. c. pl. V 1, 8
ὀρθοφυής h. pl. III 8, 4 saepius
ὄσκαλσις h. pl. II 7, 5
ὀψίβλαστος h. pl. III 4, 2 saepius
ὀψιβλαστής h. pl. I 14, 3 etc.
ὀψιβλαστεῖν h. pl. I 9, 7 saepius
ὀψικαρπία h. pl. III 2, 1
ὀψίκαρπος d. c. pl. I 10, 7
παραβλαστητικός h. pl. I 5, 1 saepius
παρασπάς h. pl. II, 1, 3 saepius
περίκομος h. pl. III, 8, 4 saepius
πισσοκοπεῖν h. pl. V 4, 5 (cf. Schmidius l. l. I p. 157)
ποάριον h. pl. III 3, 6 etc.
ταχύβλαστος d. c. pl. IV 1, 3 et multa alia similia his.

Ex vocabulorum igitur delectu perspicitur quanto opere statim post Aristotelem immutata sit oratio pedestris et deflexa a veteri sermonis consuetudine. nam praeterquam quod poeticarum vocum numerus magis magisque crescit, apud Theophrastum primum multitudinem vocabulorum legimus quae antea non erant in usu, sed a posteris frequentantur. hunc autem ipsum sermonis statum etiam in nono illo libro invenimus, ita ut vocabulorum usus non obstet quominus a Theophrasto eius originem repetamus. nec mirum est eas quoque noni libri partes quas ad Theophrastum redire parum est probabile fere eandem atque ceteras sermonis condicionem exhibere: post Aristotelem omnes illi libri scripti sunt ex quibus sua excerpsit istius scriptor.

Ad aliud transeo. Dittmeyer l. l. p. 153 sq. animadvertit non nulla vocabula in nono libro aliud significare atque apud Aristotelem, et hoc quidem recte. contra Theophrastum ne ex his quidem argumentum petere licet. nam si omitto ubi aperte

ille rem male gessit[1], plurimorum vocabulorum illae de quibus agitur significationes aut omnino attico sermoni sunt consuetae aut reperiuntur apud posteriores scriptores. ut e multis duo promam exempla: βρύον vocabulum (p. $624^a$ 34) inde a Theophrasto adhibetur etiam ad florum quorundam corymbum indicandum et δαcύνεcθαι verbum (p. $632^b$ 22) de plantarum fronde dicit Theophrastus h. pl. II 6, 12. insolitae significationis relinquuntur pauca ut βιωτικόc p. $616^b$ 27[2], μοιχεύειν p. $619^a$ 10, cυντηκτικόc p. $622^a$ 15. verum enim vero videtur Theophrastus quoque interdum usitatas vocabulorum significationes inclinasse in alium sensum. sic ἄπνευcτοc adiectivum apud Homerum et Theocritum significat exanimatum, apud illum ita vocantur loca quae carent vento, cf. h. pl. IV 14, 12; sic ἀνόcτιμοc adiectivum a Theophrasto d. c. pl. III 21, 1 longe aliter atque a ceteris usurpatur, cum opponatur sine dubio πολύνοcτοc adiectivo[3]; sic δύcπνουc adiectivo ab eo fr. I 21 W. attribuitur sensus passivus.

Praeterea in nono libro interdum accusativo qui vocatur graeco non adponitur articulus, quod solet fieri apud Aristotelem, ut p. $615^b$ 6 ἡ κύμινδίc ἐcτι μέγεθοc ὅcον ἱέραξ, p. $618^b$ 27 ἕτεροc δὲ μέλαc τὴν χρόαν καὶ μέγεθοc ἐλάχιcτοc[4]. idem saepissime accidit in libris Theophrasteis, e. gr. h. pl. III 16, 5 παρόμοιον δὲ τὸ φύλλον καὶ ἡ ἀνδράχλη ἔχει τῷ κομάρῳ, μέγεθοc οὐκ ἄγαν μέγα; h. pl. IV 16, 2 ἦν δὲ τὸ δένδρον μέγα, μῆκοc μὲν μεῖζον ἢ δεκάπηχυ, πάχοc δ' ὥcτε μὴ ῥᾳδίωc

---

[1] non nulla quin paucis moneam, non me contineo. c. 18, 93 p. $617^a$ 3 in verbo ἀcινῶc non inest inaudita quaedam et nova significatio, sed intellegendum est sic coire ardeam, ut sibi non noceat. tum c. 16, 90 p. $616^b$ 18 δοκεῖ δ' εἶναι ξενικὸc ὄρνιc· ὀλιγάκιc γὰρ φαίνεται ἐν τοῖc μὴ οἰκείοιc τόποιc qualemcunque ξενικόc verbo tribuis significationem, proxima sententia sensu cassa est. hic sine dubio latet mendum, quod frustra expellere conabatur Pikkolus. scribendum est ἐν τοῖc ἡ μ ῖ ν οἰκείοιc τόποιc. postremo moneo etiam contra Bonitzium (in ind. Arist.) c. 28, 104 p. $618^a$ 7 πλὴν ὅτι τοῖc Ζεφυρίοιc φαίνονται ventum non audire ὁ Ζεφύριοc, sed τὰ Ζεφύρια, ut apud Theophrastum fr. V 47 W. δυόμενοc (sc. ὁ ἥλιοc) οὖν καταλείπει νέφη, ἀφ' ὧν τὰ Ζεφύρια.

[2] cf. Lobeckius Phryn. p. 355.

[3] de horum adiectivorum significatione cf. Schneider Saxo in adnot. ad h. pl. VIII 8, 2 vol. III p. 684.

[4] cf. Dittmeyer l. l. p. 159.

ἂν περιλαβεῖν τέτταρας ἄνδρας; h. pl. IX 6, 1; 11, 10; fr. II 24 W.; etc.

Iam pauca dicam de particulis. nam si quid aliud, has suspiceris de suo posuisse scriptorem. et vero res se habet ita. nam unum fere memoratu dignum id est quod scriptor valde est amans τε particulae quae quinquagies septies in hoc libro legitur, cum Aristoteles non ita eam frequentet[1]. secus vero iudicandum est de finalium sententiarum particulis et structura. in commentariis vere Aristoteleis nusquam occurrit in sententia proprie finali ὅπως ἄν, nusquam μή particula non addito ἵνα vel ὅπως. at utrumque legitur in nono libro: p. 623ᵃ 26 τὸ μὲν οὖν μακροσκελέστερον κάτωθεν κρεμάμενον τηρεῖ, ὅπως ἂν μὴ φοβούμενα τὰ θηρία εὐλαβῆται κτλ., p. 625ᵃ 12 ὑφιστᾶσιν ἐρείσματα, ὅπως ἂν δύνωνται ὑπιέναι, p. 621ᵃ 25 ἐρύκων τἆλλα ἰχθύδια, μὴ διαρπάσωσι τὸν γόνον[2]. rursus hic dicendi usus cum Theophrasteo consentit: ille enim sic ὅπως ἄν usurpat h. pl. VII 12, 2; VIII 1, 7; IX 8, 7; fr. IV 69 W. et semel simplicem μή particulam h. pl. IV 8, 8[3]. optativum post tempus historicum positum quem invenimus in nono libro p. 614ᵇ 16 apud Theophrastum frustra quaesivi. — iuvat nunc vel in hac re per se tenui et levi conferre Aristotelis de re publica Atheniensium libellum: statim perspicitur quantum distet eius sermo a commentariis. nam ὅπως ἄν particula in sententia proprie finali semel invenitur c. 29 p. 33, 1 ed. Berol. [p. 82 K.]; optativus tempus historicum sequitur c. 18 p. 19, 23 ed. Berol. [p. 48 K.][4].

Agmen claudant praepositiones. quarum in usu non nulla discrepant ab Aristotele, congruunt cum Theophrasto. cum enim Aristoteles non dicat κατὰ γῆς *sub terra*, sed ὑπὸ γῆς, ὑπὸ γῆν, κάτω γῆς[5], in nono libro saepius legitur κατὰ γῆς

---

[1] cf. Euckenius *de Aristotelis dicendi ratione* I Gotting. 1866 p. 13.

[2] cf. Philippus Weber in programm. Noviomag. 1885 et Dittmeyer l. l. p. 160.

[3] cf. Guilelmus Mueller *de Theophrasti dicendi ratione* I Gott. 1874 p. 54.

[4] non constat de c. 42 p. 47, 8 ed. Berol. [p. 109 K.] quia verbum nequit certo restitui. addo hic ὅπως particulam adhiberi decies octies, ἵνα decies; ὡς et μή non inveniuntur; in sententia non proprie finali semper (quinquies) ponitur ὅπως c. ind. fut.

[5] cf. Euckeni *de Arist. dicendi usu liber* ed. Berol. 1868 p. 40.

p. $627^b$ 24, $628^a$ 8, $629^a$ 35. contra Theophrastus saepissime sic loquitur[1]. deinde p. $627^a$ 3 legitur ἀγαθὸν (sc. τὸ λευκὸν μέλι) πρὸς ὀφθαλμοὺς καὶ ἕλκη. sed Aristoteles non dicit ἀγαθὸν πρὸς ὀφθαλμούς, quod num apud eum inveniretur recte iam dubitavit Dittmeyer l. l. p. 157[2]. sane ἀγαθὸν πρὸς ἕλκη recte stat; alterum membrum aliter expressisset, sc. καὶ ὀφθαλμοῖς, ut Theophr. h. pl. IX 9, 5. discipulus autem dicere potuit quod legimus illo noni libri loco; scripsit enim h. pl. IV 3, 1 καὶ ἔτι πρὸς τὴν κοιλίαν ἀγαθός (sc. ὁ τοῦ λωτοῦ καρπός); h. pl. IX 13, 3 ἀγαθὴ δὲ καὶ πρὸς τὰ ἄλλα ἕλκη καὶ πρὸς τὰ ἑρπετὰ καὶ πρὸς ὕπνον καὶ πρὸς ὑστέραν; similiter h. pl. IX 20, 4[3]; fr. II 24 W. καὶ πρὸς τὰ ὄμματα ἀγαθή, fr. IV 35 W. τὸ δὲ ῥόδινον ἄριστον πρὸς τὰ ὦτα.

Haec fere de libri noni sermone addere in animo erat. nihil aliud, ut dixi, demonstrant nisi per dicendi genus fieri posse, ut eo quo statui tempore sit scriptus et magna illius pars excerpta sit ex Theophrasteis περὶ ζῴων libris.

---

[1] cf. Guilelmus Mueller in programm. a. 1878. adde quae ille adfert exemplis fr. 171, 7 W. et vide quam bene congruat mir. ausc. c. 37 p. $835^b$ 19 ex Theophrasto haustum.

[2] cf. Euckenius l. l. p. 69.

[3] hunc locum recte adfert Mueller l. l. p. 23; male h. pl. VII 12, 2 πρὸς τὰ ῥήγματα ἀγαθή: haec alia res est.

# VITA.

Natus sum Hermannus Henricus Christianus Joachim Hamburgi a. h. s. LXVIII postridie Non. Aug. patre Henrico matre Theresa e gente Martens, quibus gaudeo superstitibus. fidei addictus sum evangelicae.

Litterarum elementa Mauritio Otto duce doctus per octo annos Iohannei Hamburgensis tum Ricardi Hoche, Friderici Schultess nunc sub auspiciis florentis fui discipulus. praeceptorum plurima me debere Adolpho Metz et Friderico Schultess viris egregiis grato animo hic profiteor; neque Hermannus Schrader, cuius docta consuetudine et adhortatione etiam postea uti mihi licuit, quanta semper erga me fuerit benevolentia, umquam obliviscar.

Maturitatis testimonio instructus vere a. LXXXVII Bonnam me contuli, ubi huc usque studiis philologis operam dedi. docuerunt me viri clarissimi Bender Buecheler Dove Foerster Grafe RKekulé Lipps Loeschcke Nasse Nissen Mangold Martius Reusch Vsener. insigni Buecheleri Luebberti Vseneri liberalitate factum est ut in seminarium regium philologorum Bonnensium reciperer, cuius per quater sex menses fui sodalis ordinarius. in seminarium historicum benevole me admisit Nissen. exercitationibus ut interessem benigne concesserunt philologis et epigraphicis Buecheler, archaeologis Kekulé, philosophis Martius, philologis Schwartz, hebraicis Budde. quibus viris omnibus gratiam habeo maximam, in primis vero Buecheleri et Vseneri memoriam grato semper pioque colam animo.

# SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Euripidis Medeae

a. v. 632 sqq. sic scribendi sunt:

μήποτ' ὦ δέσποιν' ἐπ' ἐμοὶ χρυσέων τόξων ἀφείης
ἱμέρῳ χρίσασ' ἄφυκτον οἰστόν.

libri: ἐφείης.

b. v. 722: εἰς τοῦτο γὰρ δὴ φροῦδός εἰμι πᾶς ἐγώ
delendus est propter inauditum φροῦδος adiectivi usum.

II. Platonis Hipp. maior. p. 290[b] sic restituo: ὅτι, ἐρεῖ, τῆς Ἀθηνᾶς τοὺς ὀφθαλμοὺς οὐ χρυσοῦς ἐποίησεν (sc. ὁ Φειδίας) οὐδὲ τὸ ἄλλο πρόσωπον [οὐδὲ τοὺς πόδας οὐδὲ τὰς χεῖρας], εἴπερ χρυσοῦν γε δὴ ὂν κάλλιστον ἔμελλε φαίνεσθαι, ἀλλ' ἐλεφάντινον· δῆλον ὅτι τοῦτο ὑπὸ ἀμαθίας ἐξήμαρτεν ἀγνοῶν, ὅτι χρυσὸς ἄρ' ἐστὶν ὁ πάντα καλὰ ποιῶν, ὅπου ἂν προσγένηται eiecto molesto illo glossemate quod grammaticam sententiae rationem pessumdat. Schanzius male expunxit ἐξήμαρτεν verbum.

III. Isocrates cum Nicoclis § 7 scriberet verba τὸ γὰρ λέγειν ὡς δεῖ τοῦ φρονεῖν εὖ μέγιστον σημεῖον ποιούμεθα καὶ λόγος ἀληθὴς καὶ νόμιμος καὶ δίκαιος ψυχῆς ἀγαθῆς καὶ πιστῆς εἴδωλόν ἐστιν, haec voluit opponere Platonis iudicio Gorg. p. 463[d] ἔστιν γὰρ ἡ ῥητορικὴ κατὰ τὸν ἐμὸν λόγον πολιτικῆς μορίου εἴδωλον; nec non § 9 verbis οὐδὲν τῶν φρονίμως πραττομένων εὑρήσομεν ἀλόγως γιγνόμενον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἔργων καὶ τῶν διανοημάτων ἁπάντων ἡγεμόνα λόγον ὄντα κτλ. respexit ad Gorg. p. 527[e] verba ὥσπερ οὖν ἡγεμόνι τῷ λόγῳ χρησώμεθα τῷ νῦν παραφανέντι, ὃς ἡμῖν σημαίνει, ὅτι οὗτος ὁ τρόπος ἄριστος τοῦ βίου κτλ.

IV. Aristot. hist. anim. V 19, 99 p. 551[b] 21 ἐκ δὲ τῶν ἐν τοῖς ποταμοῖς πλατέων ζῳδαρίων τῶν ἐπιθεόντων οἱ οἶστροι

(sc. γίνονται) ex Sostrati fragmento a scholiasta in Apoll. Rh. I 1265 servato emendandum est: τῶν ἐπιπλεόντων.

V. Teletis p. 10, 1 sqq. H. latius quam coniecit Bergkius p. l. [4]II p. 368 fr. 11 patent Cratetis versus sic fere refingendi:

κόγχον καὶ κύαμον συνάγοις ⟨φίλε⟩, κἂν τάδε δράσῃς,
ῥηϊδίως στήσεις πενίης ⟨σπάνεώς τε⟩ τροπαῖον.

VI. Antigoni hist. mir.

a. c. 51 K. ἰδὲ καὶ τὸν ναυτίλον πολύποδα οἷς ποιεῖ περιττόν· ἔχει μὲν γὰρ ὄστρακον κτλ. coll. [Aristot.] h. a. IX 37, 153 p. $622^b$ 5 legendum esse puto: εἶ⟨ναι⟩ δὲ καὶ τὸν ναυτίλον πολύποδα οἷς ποιεῖ περιττόν· ἔχειν μὲν γὰρ ὄστρακον κτλ.

b. c. 109 K. coll. [Aristot.] h. a. IX 50, 247 p. $631^b$ 31 scribendum propono: τὰς δὲ ὑστερογενεῖς (τὰς δευτερογονεῖς libri) τρίχας τοὺς μὲν ἐκ παιδὸς διαφθαρέντας οὐκ ἴσχειν κτλ.

VII. Plutarchus ut evitet hiatum semper ante vocales etiam pausa interposita pro δήπου adhibet δήπουθεν particulam, quae non invenitur ante consonantes.

VIII. a. Plutarchi duae quae nunc extant de esu carnium declamationes excerptae sunt ex dialogo minimum quattuor librorum.

b. ibid. p. $996^e$ legatur: ἐπεὶ καλῶς εἶχεν, ὥσπερ Αἰγύπτιοι τῶν νεκρῶν τὴν κοιλίαν ἐξελόντες καὶ πρὸς τὸν ἥλιον ἀνασχόντες ἐκβάλλουσιν ....., οὕτως καὶ ἡμᾶς ἑαυτῶν τὴν γαστριμαργίαν καὶ μιαιφονίαν ἐκτεμόντας ἁγνεῦσαι τὸν λοιπὸν βίον.
editur: ἀνασχίζοντες et ἐκτέμνοντας.

IX. Plauti Casinae

a. v. 725 Sch. finis, ut efficiatur octonarius, sic scribatur:
*tu amás egò ⟨et⟩ esurio et sitio.*

b. v. 925 Sch. facile coll. v. 891 tantum suppleas:
*surgo ut in eam in ⟨ruam . . . .*

X. Petronius praefert *propter* praepositionem; item Commodianus, qui *ob* praeter unum locum (instr. II 10, 4) non usurpat nisi in formulis illis *ob ea, ob ista.*

XI. Senecae Phaedrae v. 654 sq. L.:

*tuaeque* (*tuaeve* codd. corr. Bothius) *Phoebes vultus aut Phoebi mei*
*tuusque potius* etc.

legendum propono: *tuus ve potius.*

XII. Interpret. Montepess. (Notices et Extraits des manuscr. XXIII part. 2) p. 335, 4: 'Αφροδίτη *Venalia* traditur; Boucherie scribit: *Venus.* agnoscenda est maris dea quae *Venilia* audit Varroni apud Augustin. d. civ. dei VII 22 D.